

Q.K.367.24.

(X 188 25 42)

420

DISSERTATIONEM
De

In
348

CURA DEI CIRCA REM ROMANAM, consensu

*Inclytæ atque Amplissimæ Facultatis
Philosophicæ,*

Prima Vice

PRO LOCO

suo tempore in Eadem obtinendo,

Publicæ disquisitioni

submittit

Die XX Septembris A. S. M DC XC.

M. GEORGIIUS Lebrecht Wilcke/
SS. Theol. Baccal.


LIPSIÆ,
Literis CHRISTOPHORI GUNTHERI.



VIRO
REVERENDISSIMO AC SUMMO
DOMINO
SAMUELIS BENEDICTO
CARPZOVIO,
SS. THEOL. DOCTORI CLARISSIMO,
SENATORI SACRO, ET PASTORI DRESDEN-
SIUM EPHORIOQUE PER VICINIAM
GRAVISSIMO MERITISSIMOQUE

BONARUM LITERARUM ARBITRO
CENSORIQUE DOCTISSIMO

multiplicatis cum votis




d. d. c.

AUCTOR.



DE
CURA DEI CIRCA REM
ROMANAM
EXERCITATIO HISTORICA.

§. 1.



EM ROMANAM de Regno, Repub-
lica, Imperio, Statuque universo Romano,
dixere Auctores ætatis primæ Livius, memo-
res Romanam Rem nuper etiam adjectione Po-
puli Albani auctam l. 30. cum in magna gloria,
magnisque opibus Regnum Tulli, ac totares Ro-
mana esset. l. 31. Virgilius, *Hic rem Roma-*
nam, magno turbante tumultu, sistet eques
Æn. VI. 857. dum res stetit Ilia regno Æn. I.

*272. Postquam res Asie Æn. III. 1. & ætatis secundæ, Tacitus, sua
in manu fitam rem Romanam A. I. 31. 5. Deum ira in rem Romanam.
A. IV. 1. 4. Florus, satis tanto hosti uno Imperatore resistere res Ro-
mana non potuit. III. 22. 5. ac toties iidem alibi, pluresque. No-
bisque ideo ita visum est sequi: quo tempus omne, modumque o-
mnem, omnemque demum Populi Romani fortunam, unius ambitu
vocabuli daretur constringere.*

§. 2. CURASSE autem DEUM REM ROMANAM nemo
neget, nisi qui asserat, nihil DEUM unquam curasse. Quod quidem
Epicuri olim dogma fuit, qui Epicurum sequuntur. Ceterum
pars sanior Gentilium contra fuit. Promtumque foret agmina ipsa
omnis generis Auctorum inducere: ni jam pridem præsto foret Augu-
stinus, scriptor Christianus, cui celsius lumen ex divinis literis afful-
serat, cuius ista pulcherrima verba sunt: *DEUS qui fecit hominem ra-
tionale animal ex anima & corpore: qui eum peccantem, nec impunitum*

A 2

esse

esse permisit, nec sine misericordia dereliquit: qui bonis & malis effen-
tiam cum lapidibus, vitam seminalem etiam cum arboribus, vitam sen-
sualem etiam cum pecoribus, vitam intellectualem cum solis Angelis dedit:
à quo est omnis modus, omnis species, omnis ordo, à quo est mensura, nu-
merus, pondus, à quo est quicquid naturaliter est, cuiuscunque generis est,
cuiuscunque estimationis est: à quo sunt semina formarum, formæ semi-
num, motus seminum atque formarum. Qui dedit & carni originem,
pulchritudinem, valetudinem, propagationes, fæcunditatem, membro-
rum dispositionem, salutem, concordiam: qui & animæ irrationali de-
dit memoriam, sensum, appetitum, rationali autem insuper mentem, in-
telligentiam, voluntatem: qui non solum cælum & terram, nec solum
Angelum & hominem, sed nec exigui & contemptibilis animantis viscera,
nec avis pennulam, nec herba flosculum, nec arboris folium, sine suarum
partium convenientia, & quadam veluti pace dereliquit: nulla modo est
credendus REGNA HOMINUM, eorumque dominationes & servitutes
à sue PROVIDENTIÆ legibus alienas esse volui. Sjde Civ. DEI V. II.

§. 3 Nobis autem generali demonstratione jam missa, sedet uni-
cè in præsens CURAM DEI DE RE ROMANA docere. Ubi fors non
inconvenienter facturi sumus, si primum recenseamus, quam varia,
quamque numerosa illa DEI DE RE ROMANA CURA
fuerit. Non quasi exhausturi omnem eam, etiam arcanam no-
bisque abstrusam: prout quæque Cura & evidentissima, & ab hi-
storicis in literas relata est; quos haud præter rem profecto J. S.
Casaubonus in illustri ad Polybium præfatione, Providentiæ divinae
Scribas ac Tabularios publicos vocavit. Deinde vero ut & afferamus CLI-
RÆ DEI tam multiplicis DE RE ROMANA FRUCTU\$, seu tu caussas
ac fines appellare mavis, prout isti nimirū inaccessi initio mentib⁹ mor-
talibus, semet tamen explicuere ipsi possea, & res ipsa demum præsens
oculis admirationique cernentium semet ultro ingessit. Post quæ si
quid de Roma Romanove Imperio NOSTRI ÆVI his addere va-
cuum erit, id ad fortē sive summam accedet.

§. 4. In parte itaq; Exercitationis principe, prima exit ELECTIO
ITALIÆ, quæ rei Romanæ, hoc est Urbi Imperioq; tanto locū præ-
beret. De ITALIA præclare Plinius, Terra, inquit, omnium terrarū alu-
mina eadē & parens, NUMINE DEUM ELECTA, quæ cælum ipsum clari-
us faceret, sparsa congregaret imperia, ritusque molliret: & tot populorum
discordes ferasque linguas sermonis commercio contraberet ad colloquia.
& hu-

Et humanitatem homini daret, breviterque una cunctarum gentium in
toto orbe patria fieret H.N. III. 6. Patet verò longius ista DEI CU-
RA. Quod vidit & illustravit doctissimā observatione Strabo, quo lo-
co ipse post eximiam Italiæ laudationem, quasi in fine Libri VI. de Geo-
graphia ita insit: *Præterea cum medio loco inter gentes maximas sit si-
ta & Græciam, ac maximas Asie partes: LOCI NATURA AD IM-
PERIUM VIRTUTE AC MAJESTATE TENENDUM ADJUVA-
TUR: Vicinia exequendis imperiis, & obeundis ministeriis accommoda-
ta est.* Nisi quod eandem tamen materiam, propriam hujus loci, co-
piosius insuper executus fuit Vitruvius, ubi sic ait: *Cum ergo ab NA-
TURA RERUM (DEO) hæc sint in mundo collocata, ut omnes Natio-
nes immoderatis mixtionibus sint disparatae, PLACUIT, ut inter spa-
tia totius orbis terrarum regionumque MEDIO MUNDI Populus Ro-
manus possideret fines. Namque temperatissimæ ad utramque partem,
& corporum membris, animorumque vigoribus, pro fortitudine sunt in
ITALIA gentes. Quemadmodum enim Jovis stella inter Martis fer-
ventissimam, & Saturni frigidissimam media currens temperatur: ea-
dem ratione ITALIA inter Septentrionalem, Meridianamque ab utra-
que parte mixtionibus temperatas, & invictas habet laudes. Itaque
consiliis refringit Barbarorum vires, manu forti Meridianorum cogitati-
ones. ITA DIVINA MENS CIVITATEM POP. ROMANI EGRE-
GIA TEMPERATAQUE REGIONE COLLOCAVIT, UT OR-
BIS TERRARUM IMPERIO POTIRETUR. VI. I.*

§. 5. Fuit vero & altera DEI admirabilis æque de GENERE,
seu de POPULO CURA. Erant tunc in Italia Campani, Samnites
Apuli, Etrusci, Ligures, Insubres, magno numero populi alii. Sed
in his omnibus DEI CURÆ soli visi sunt idonei LATINI, qui ma-
jore mox fato in ROMANUM nomen transivere. Et est magna si-
ca potius quam superba ista Plinii enunciatio, *Gentium in toto orbe præ-
stantissima una, & in omni virtute hanc dubiè ROMANA filit.* Quodsi quis appelleat tamen ab hoc judice, & suspectum de Roma-
nis Romanum habeat: non aliter Græcus ille Ammianus & Cassiodo-
rus sanguinis Gothici, censuere. Quorum ille *Roman Imperii vir-
tutumque omnium Larem*, & hic *virtutum omnium latissimum templum*
dixit. Sed sit nobis locupletissimus & unicus testis isto loco *Divus Au-
gustinus*: cuius utinam totum caput XII. quod Libro V. de Civ. DEI
extat, liceret hic describere! excerptemus tamen. Proin videamus

quos Rom. mores, & quamob causam DEI verus adaugendum Imperium adjuvare dignatus est, in cuius potestate sunt etiam regna terrena. Veteres igitur, primique Romani, quantum eorum docet & commendat Historia, quamvis ut aliæ gentes, excepta una populi Hebreorum Deos falsos colerent, & non DEO victimas, sed Daemonis immolarent, tamen laudis avidi, pecuniae liberales erant, gloriam ingentem, divitias honestas volebant: hanc ardenter dilexerunt, propter hanc vivere voluerunt, probac & mori non dubitaverunt. Cæteras cupiditates hujus unius cupiditate presserunt. Ipsam denique Patriam suam, quoniam servire videbatur inglorium, dominari vero atque imperare gloriosum, prius omnistudio liberam, dein dominam esse concupierunt. Consulibus institutis secutum est, quod idem Auctor (Sallustium innuit) in Romanorum laudibus posuit, quod civitas incredibile memoratu adepta libertate, quantum brevi creverit: tanta cupido gloria incesserat. Ista ergo laudis aviditas, & cupido gloria multa illa miranda fecit, laudabilia scilicet atque gloria secundum hominum existimationem. Atque ubi de Julio Cæsare ex Sallustiano charactere retulisset, subdit: Amore itaque primitus libertatis, post etiam dominationis, & cupiditate laudis & gloria multa magna fecerunt. Citatisque quibusdam Virgilii versibus: nec non Tarqu. &c. ruebant. Tunc itaque magnum fuit, aut fortiter emori, aut liberos vivere. Sed cum jam nati essent libertatem, tanta cupido gloria incesserat, ut parum esset sola libertas, nisi & dominatio quereretur. Rursusque citato Virgilio: quin aspera Juno &c. dominabitur Argis: post illa provenere illæ propriæ Romanis imperandi artes: excudent alii &c. debellare superbos. Has artes illi tanto peritus exercebant, quanto minus se voluptatibus dabant, & enervatione animi atque corporis in concupiscendis & augendis divitiis, & per illas moribus corrumpendis &c. &c. Postque comparatione inter Cæsarem & Catonem ex Sallustio instituta, ubi Catonis virtutem propinquiorem veritati quam Cæsarlis dixisset: adducit dein ex eodem Historico: Nolite existimare &c. in vacuam Rem publicam. Non quasi omnes veteres Romani vel plures saitē tales tunc fuerint: aliqui non illa contigissent, quæ Livius & Florus de contentionibus Patrum atque Plebis narravere. Sed tamen quod, inquit Sallustius, paucorum civium egregia virtus vitia cuncta sustinebat. Unde sic denique finit Augustinus: Quamobrem cum diu fuissent Regna Orientis illustria, VOLUIT DEUS & Occidentale fieri, quod tempore esset posterius, sed Imperii latitudine & magnitudine illustrius. Id TALIBUS potissimum CONCESSIT



CESSIT hominibus; ad domanda gravia mala multarum gentium, qui causa honoris, laudis & gloriæ consulerent Patriæ, in qua ipsam gloriam requirebant, salutemque ejus salutis suæ præponere non dubitarent: pro isto uno vitio, id est, amore laudis, pecunia cupiditatem, & multa alia vitia comprimentes.

§. 6. Et jam tertia DEI CURA secuta est, de ORDINE his omnibus dando. Visusque & Populus egere ROMULI, hoc est REGIS, qui quod in alia quanquam causa Livius habet, e ferocibus universis suo quemque metu obedientes ficeret VI. 4. Quem Virum, quocunque genitore ortum, (namque hic variant Auctores,) neque Tiberis, in quem projectus est, mersit, sed nutrita lupa, diuque inter pastores habitum, demum casus & periculum aperuit, REGEMque fecit, isque ROMAM condidit. Ubi Livius, forte quadam DIVINITUS super ripas Tiberis effusus lenibus stagnis, nec adiri ad justum cursum poterat amnis: & posse quamvis languida mergi aqua infantes, spem fermentibus dabat: I. 4 idemque eodem ferè loco: sed DEBEBATUR ut opinor FATIS tantæ origo Urbis; etsi tunc in opis adhuc & parvæ, ut, quod non invenuste Florus, imaginem magis urbis diceret quam urbem. I. i Rigebat culmo tecta. Nec magnificentior Regia, seu casa Romuli; quam in speciem priorum rerum servatam refectione, etiam Augusti ævo monstrabant. De Templis inde collige, quod

Jupiter angustâ vix totus stabat in æde,

Inque Jovis dextra fictile fulmen erat. Ovid. Fast. I. Et par-
etiam nitor Curiæ Romanæ; de qua Propertius:

Curia prætexto quæ nunc nitet alta Senatu,

Pellitos babuit rustica corda Patres. El. IV. i.

Civium fuere primo censu ter mille.

§. 7. Ast CURA DEI, (de qua semper nobis sermo atque meditatio est) cum cultum & amplitudinem, & ornatum Romæ in alia tempora rejecisset, tunc quidem in id intendebat quasi oculos unice, quo Imperio abs se jam designato descriptoque SEDES COMMODA daretur atque opportuna. Quod vidit, & civibus suis inculcavit ille vir acerrimi ingenii Camillus apud Livium ubi sic ait: Non sine causa DII HOMINESQUE HUNC URBI CONDENDÆ LOCUM ELEGERUNT. *Saluberrimos colles, flumen opportunum, quo ex mediterraneis locis fruges devehantur, quo maritimi conventus accipientur;* mare vicinum ad commoditates, nec expositum nimia propinquitate ad pericula classem externarum; regionum Italiae medium. V. 54. Et adde his

his quod munitissimo Italæ lōco sita, & Alpibus Appēnninoque ab omni vi subitâ defensa, utque breviter absolvam, Romani mundi centrum, & opportunissimum ideo petendo Juri Prætorium, & commodissimum pro mercibus orbis exponendis Forum, & Arx nationum ac Regum, lumenque gentium, ac mundi miraculum fuit; quod oculis omnium perinde expositum, quasi ex æquo obvium, & accedere volentibus terra marique prouum, commodum, idoneum foret.

§. 8. Sic nata ergo & sic posita Roma, admirabile dictu est, quanta DEI CURA providentiaque habita primo sit sub VII. Regibus prope CCL. ut *Florus præf.* 5. sive ut accuratius *Dionysius V.* & *Livius I.* 60. putant CCXLIV. per annos. *Quadam*, ut ait *Florus*, FATORUM INDUSTRIA tam variis ingenio, ut Reip. ratio & utilitas postulabat. Nam quid Romulo ardentius? tali opus fuit ut invaderet regnum. Quid Numa religiosus? ita res poposcit, ut ferox populus Deorum metu mitigaretur. Quid ille militiae artifex Tullus, bellatoribus viris quam necessarius? ut acueret ratione virtutem. Quid ædificator Ancus? ut urbem coloniæ extenderet, ponte jnngeret, muro tueretur. Jam vero Tarquinii ornamenta & insignia, quantam Principi populo addiderunt ex ipso habitu dignitatem? Aetus a Servio census, quid effecit, nisi ut ipsa se nosset Respublica? Postremo superbi illius importuna dominatio, nonnihil imo vel plurimum profuit. Sic enim effectum est, ut agitatus injuriis populus cupiditate libertatis incenderetur. I. 8 consentitque *Livius*, II. 1.

§. 9. Jam enim meditabatur CURA illa DEI DE RE ROMANA singularis, populum Romanum in annuos magistratus, imperiaque Legum potentiora quam hominum, *Liv. II.* 1. sive ut Tacitus ait in *Libertatem & Consulatum*, A. I. 1. transducere, quo spatium ingeniis virtutibusque Romanis daretur. Liber enim jam Populus Romanus mirum quam invidiosè mox excrevit. Generosæq; instar arboris, cœloque ac solo suo liberè gaudentis, actis profundissimè radicibus, induita truncum, vertice in eximiam altitudinem protenso, ramis felicibus Italiam primum, mox Siciliam, & inde Hispaniam, Galliam, Europamq; pleramque, mox Africam quoque Asiamque in umbrans, tam prospera, tam inusitata incrementa, non alteri interim debuit quam DEO. Agnovit hoc *Florus ipse*, qui *Populum Romanum quodam quasi INSTINCTU DEORUM ad asserendam Libertatem concitatum scribit* 1.9. Cum enim populus Romanus tota illa ætate prima, qua sub Regibus fuit, non nisi circa matrem suam, hoc est, urbem ipsam Romanam, cum finitimis luctatus esset: *Florus præf.* à Bruto dehinc Consule ad App. Claudium & Q. Fulvium Coss. per 250. annos, Italiam universam subegit. I. c. ac du-

ac ducentis post annis qui sequuntur, Africam, Europam, Asiam, totum denique orbem terrarum bellis victoriisque peragravit. Sic *Florus* II. i. Nisi quod accurior multo, ac tantum non stupenda, & propria Polybii ista observatio fuit, solis LIII. annis tantam rem confessam. Quod dogma difficile perceptu futurum, eruditissime Ca-saubonus exponit, dum docet, populum Romanum de occupando orbis imperio ante bellum Punicum II. vix cogitasse: verum quia feliciter primo Punico vires suas esset expertus ex successu animos sumfisse, ac mox oblatis conditionibus utentem, brevi spatio temporis, non sine ingenti miraculo, rem tantam simul propemodum & aggressum esse. & consummasset. Fuerit ergo annorum istorum LIII. initium ad initium belli Punici II. & consummatio ad devictum Persae, eversumque Macedoniae regnum restringenda. Et quanquam post confectum bellum Macedonicum stabat adhuc Carthago, stabant Regna Regum Ægypti, Syriae, Asiae, Pergami, Cappadociae, Numidiae, alia: etiam Græcorum civitatibus & insulis sua fere libertas constabat: Omitto autem Galliae utriusq; populos plerosq; item Germanos, Britannos, Hispanos, Thracas, Judæos, qui omnes postea diversis & occasionibus & temporibus Romano Imperio accesserunt: Sed enim vero Polybius ea quæ commemoravimus Regna, & Græciam universam pro subditis populo Romano habuit: non quod jugum servitutis adhuc subiissent, ut postea fecere, cum armis sunt devicti: verum cā ratione, quod per bella dicto spatio LIII. annorum gesta, omnibus Europæ, Asiae, Africæ populis, qui alicujus erant nominis, expressa erat impotentiæ confessio: jamque eò res redierat, ut è notioribus tunc gentibus nulla esset, quæ ex æquo cum populo Romano agere auderet. Sicque adeo in confessio apud omnes erat, eamque confessionem necessitas omnibus exprimebat, parendum porrò esse Romanis, & illorum jussa esse capessenda. Hæc autem erat conditio populi Romani non planè subditorum, sed qui tenerentur ex fœdere Populi Romani majestatem colere. Notis ad Polyb. I.

§. 10. Hæc verba dum scribimus, rursus admirabilem DEI CURAM, & evidentissimam providentiam notamus, quâ bella ex bellis nasci, & provincias ex provinciis quasi serie quadam subigi, aut fecit ipsa, aut permisit. Nam semper, (certè usque ad Syllam) dupli hoc titulo Romani usi, ut aut pro SALUTE arma caperent, aut

B

pro

pro FIDE. Pro illâ, ubi res ipsorum ageretur, pro istâ ubi Sociorum. Et hoc de sociis latè patuit, & est illa catena, quæ bella & terras con- junxit aut subjunxit. Hæc ferè Lipsius; qui simul latentes istos nexus per exempla demonstravit Carthaginensium, Macedonum, & Mithridatis. *de magnit. Rom. IV.* Sed nobis potius sit allegare Augustinum, quo loco ait: *Sed planè pro tantis bellis susceptis & gestis JUSTA DEFEN- SIO Romanorum est, quod irruentibus sibi importunè inimicis resistere cogebat, non aviditas adipiscendæ laudis humanae, sed necessitas tuendæ salutis & libertatis.* Ita sit planè. Nam postquam res eorum, sicut scribit Sallustius, legibus, moribus, agris aucta, satis prospera, satisque pollens videbatur, sicut pleraque mortalium habentur, INVIDIA EX OPU- LENTIA orta est. Igitur Reges, populique finitimi BELLO EOS TENTARE, pauci ex amicis auxilio esse. Nam ceterimetu perculti procul à periculis aberant. At Romani domi militiaeque intenti, festinare, parare, aliis alium hortari, hostibus obviam ire, libertatem, parentesque armis tegere. Post ubi pericula virtute propulerunt, sociis atque amicis auxilia portabant; magisque donandis quam accipiendis beneficiis amici- tias parabant. Decenterque his artibus ROMA CREVIT. *de Civ. DEI. III. 10.*

§. II. Ceterum ut pares essent bellis omnibus profligandis, Sapientia DEI eadem, CURAQUE immensa, providerat jam inde ab initio, ut nulli mortalium armis atque SCIENTIA REI MILITARIS ante Romanos essent. De scientia ipsa verò abstinemus dicere, quasi qui ignarissimi simus artis tantopere, isto maxime sæculo, exercitæ. Qui volet, *Lipsum legat de Militia Romana. 1.2.* delectumque ordinem, arma, aciem, & disciplinam indidem cognoscet; tam olim huic genti usurpatam, ut hæc videns Taxiles, ille à sinu & latere Mithridatis Regis, libero ore apud Tigranem fassus sit, ἄμαχον περῆγμα τὰ ρω- μαῖων ὅπλα, rem invictam, Romana arma. Plut. Lucull. Quanquam fors propius etiam rem nostram locutus est Aristides, Rhetor in Enco- mio Romæ, cum Romanos non modò armis, sed etiam τὴν γνώμην καὶ τὴν σοφίαν, (quibus vocabulis nihil aliud quam ARTEM ipsam & SCIENTIAM BELLANDI signat) usque adeo supra populos omnes fuisse ait, ut hi cum illis compositi, non plus sapuisse quam pueri videri possint. Quippe ista vis est liberrimi pronunciati παιδας ἀπαντας αὐθρώπους ἀπεφήνατε. Atque ista quidem Aristides cuncta ita per partes

partes exsecutus est, ut si eum his & reliquam orationem conferas, non
in scite possis dicere, quod de Trajano & Plinio quondam judicatum
fuit, non comparabili populo comparabilem Panegyricum ab hoc
viro scriptum.

S. 12. Vocat verò nos alivorsum jam alia DEI, & inexplicabilis
gratiosissimaque CURA, quæ togatæ genti hos mores, & hanc formam
universæ virtutis civilis impressit tam tenaciter, ut Livius non ex vano
prædicaverit, nullam unquam Remp. nec sanctiorem, nec bonis exemplis
ditiorem fuisse. Præfat. Quantum enim Græci præceptis prævalebant,
tantum Romani, quod majus erat, exemplis. Quintil. J.O. XII. 2. & Valer.
Max. II. 7. Qui auctor vel solus ETHICAM ROMANAM confecerit.
Adeo virtutem omnem, militarem & civilem, & suo signat nomine,
& Romanis factis confirmat. Quod tamen impedire non debet,
quominus & alios, prout sese offarent, citemus. Sic enim de Justitia
Romanorum præclarè Dionysius observat, Romæ neque Senatui, nec
Populo toti plenum suscipiendi belli jus, nisi cognitio & judicatio Sacer-
dotum publicorum intervenisset, quos Fetiales dicebant. Id verò laudat
& unicè probat scriptor, & Græcos suos caruisse è dicit, & sese ideo
obiter expositurum, quid muneris & juris habuerint: ut inquit,
quibus ignota haec tenus fuit Romanorum in bellis religio mirari desinat,
felices eventus plerumque habuisse. Nam omnium bellorum initia & caussas
apparebit justas fuisse: ATQVE IDEO DEOS MERITO PROPITI-
OS SENSISSÆ ET FAVENTES. Quod ad Clementiam Romanam:
disertè apud Tacitum Claudio ipse Cæsar, ita majoribus placitum,
quantâ pervicaciâ in hostem, tantâ beneficentiâ adversum supplices uten-
dum An. XII. 20. Testisque alias, nihil vietiis quicquam præter injuriæ
licentiam eripuisse. Sallust. Cat. XII. Ast Fortitudo Romanorum, et si
longè supra testimonium omne sit, non abnuet tamen vel ex Livio
Mutium Scævolam, & facere & pati fortia Romanum est, II. 12. vel
Livium ipsum hic adduci: absit invidia verbo, & civilia bella sileant,
nunquam ab equite hoste, nunquam à pedite, nunquam apertâ acie, nun-
quam æquis utique locis laboravimus IX. 19. Quæ vera dictio, & trophæa
victarum gentium ad stipulantur. Cum autem à virtute militari ad
civilem venimus, domi & in togâ spectandam: fuere certè Romani
jam inde ab initio in Numinum cultu, vano illo quidem, sed tamen
assiduo reverenter occupati. Et incredibile dictu est, quam omnia

publice & privatim religiosè cœpta, administrata, patrata: ut totam civitatem sacris operantem & addictam posses arbitrari. Atque id secundum vetera instituta; nec novitati aut mutationi dabant hic locum. Quò valde faciebat, quod sacris præcessent, & ipsi non interpretarentur solum, sed administrarent Viri in Rep. primi, honoribus honesti: qui & exemplo suo plebem eò trahebant, & prudentiâ ac maturitate nova aut nocitura spernebant. Ab hoc deinde capite alia virtutum membra; & imprimis illa animi morumque integritas quædam atque candor: cui probitati abstinentia, continentia, frugalitas, sobrietas, modestia, pudor &c. comites adhærent. *J. Lipsius de magnit. Rom. IV. 5.* Sed nos ex omnibus id solum hic citamus, *Fiducia hæc, ut verum dicam, humana non fuit, sed A DEO INSPIRANTE VENIT.*

§. 13. Dumque hæc scribimus, & dum miramur, DEOque dilectam gentem dicimus, peneque invidemus: ecce iterum nobis *Divi Augustini* in mentem venit, qui capite XV. libri V. pulcherrime executus est, de MERCEDE TEMPORALI, quam DEUS BONIS ROMANORUM MORIBUS reddidit. *Quibus ergo, inquit, non erat DEUS datus vitam eternam, cum Sanctis Angelis suis in Civitate suâ cœlesti, ad cuius societatem pietas vera perducit, quæ non exhibet servitutem Religionis, quam λατρείαν Græci vocant, nisi uni vero DIO: si neque hanc eis terrenam gloriam excellentissimi Imperii concederet, non redderetur merces bonis artibus eorum, hoc est virtutibus quibus ad tantam gloriam pervenire nitebantur.* De talibus enim, qui propter hoc boni aliquid facere videntur, ut glorificantur ab hominibus etiam Dominus ait: *Amen dico vobis, PERCEPERUNT MERCEDEM SUAM.* Sic & isti privatas res suas pro re communi, hoc est pro Rep. & pro ejus ærario contenserunt, avaritiæ restiterunt, consuluere patriæ consilio libero: neque delicto secundum suas leges, neque libidini obnoxii: bis omnibus artibus tanquam verâ viâ nisi sunt ad honores, imperium, gloriam; honorati sunt ab omnibus fere gentibus, Imperii sui leges impo- fuerunt multis gentibus, hodieque litteris & Historiâ gloriose sunt pene in omnibus gentibus. Non est quod de summi ac veri DEI justitiâ con- querantur, PERCEPERUNT MERCEDEM SUAM. *I. c. Qui idem Auctor, ubi capite XVI. de mercede sanctorum civium Civitatis æternæ egisset, sic ait: Proinde non solum, ut talis merces talibus ho- minibus*

minibus redderetur, Romanum Imperium ad humanam gloriam dilatatum est: verum etiam ut cives eterna illius Civitatis, quamdiu hic peregrinantur, diligenter & sobrie illa intueantur exempla, & videant, quanta dilectio debeatur supernæ Patriæ propter vitam eternam, si tantum à suis civibus terrena dilecta est propter hominum gloriam. Fatemurque libenter tali observatione divini viri nos in primis commotos. Sed si jam denique de isto Romanorum præmio explicare agendum sit, quid aliud quam MAXIMUM in terris Imperium, tum fines, copias, opera, opes afferamus; quibus nimis rebus singulis, aut & junctis quibusdam, aliæ fortasse gentes sese ostenderunt; nulla sic omnibus, ut nunc ostendam.

§. 14. Nam hic se pandit demum liberalis illa ac splendidissima, de POTENTIA & MAGNITUDINE ROMANA DEI CURA; quibus spatia ferè immensa terrarum ac maris uno velut sinu adjunctim inclusa sunt, quanta in ullo priorum aut posteriorum Imperiorum non fuisse certum est. In hoc Imperio ASIÆ, AFRICÆ, EUROPÆ flos, & gentium ipsa robora, opes & ingenia fuere. Terminis (sub Augusto quidem) ab Oriente Euphrates; a Meridie Nili cataractæ, & deserta Africæ, & mons Atlas; ab Occidente Oceanus; à Septentrione Danubius & Rhenus. Provinciæ in ASIA Colchis, Iberia, Albania, Pontus, Bosphorus, Cappadocia, Galatia, Bithynia, Armenia, Syria, Arabia, Palæstina, Cilicia, Pamphylia, Lydia, & Asia tota minor. In AFRICA Ægyptus, Cyrenaica, Marmarica, Getulia, Africa propria, Numidia, Mauritania &c. In EUROPA Italia, Hispaniæ, Galliæ, Inalpini, Rhætia, Noricum, Illyricum, Macedonia, Epirus, Græcia, Thracia, Mœsia, Dacia, Pannonia. Inque medio istorum omnium Mare Mediterraneum universum, cum tot suis Insulis. Utrinque autem ad hoc mare provinciæ se porrigit & extendunt: ipsum in medio, tot portibus & insulis distinctum, quasi via ac limes est, per quem commerciis jungantur. Nec aliud in hoc Imperio pulchrius & commodius: quum sit veluti baltheus bullis insularum interstinctus, qui & dividit simul & constringit. Has autem terras muniebant tum Copiæ urbanæ, provinciales, classicæ: tum Coloniæ quoque, quæ tanto numero, tamque locis opportunis sparsæ, & in iis Romanus sanguis, quid nisi tot arcæ erant, & propugnacula Imperii Romani? Nec jam est, quod de Opibus operose mon-

strem; quas sponte liquet, ex tanta mole rerum confluxisse multas,
ac penè innumerabiles: tum de his omnibus copiosè ac distinctim
Lipsius, quem vide. Ne qua vero Romam ipsam taceamus, summa
puto ratio vetat: eo quod illa omnium operum opus, ut sic appellem;
& in qua sola fuit, quicquid ubique fuit. Unde *Aristides*, qui sub
Adriano vixit, cum Urbs in summo flore, eam cum Homerica nive
comparat: quæ excelsorum montium juga operit, & agros item, & pin-
guia virorum culta. Et alibi velut commune totius terræ oppidum
esse ait: rursusque, omnes gentes quasi vicatim divisas ad hanc suam
arcem convenire, quæ nunquam ulli se negat, sed ut terræ solum fert
omnes, sic hæc omnes homines capit. A qua causa etiam Orbis compendium,
& epitome Athenæo dicta est: Lucanus, generis coëat si turba capacē hu-
mani: & Seneca: aspicè, inquit, hanc frequentiam, cui vix urbis im-
mensa tecta sufficiunt. Maxima pars illius turbæ patria caret, ex mu-
nicipiis suis, ex coloniis, ex toto denique orbe terrarum confluxerunt.
Consol. ad Helv. Idemque Auctor alibi; Cogitate, inquit, hanc ci-
vatem, in qua turba perlatissima itinera sine intermissione defluens
eliditur, in qua consumitur, quicquid terris omnibus aratur. Et iterum
Aristides; Mare per vestrum ac terrarum orbis imperium medium pro-
tenditur; cui amplæ regiones late circumjacent, necessaria pleraque vo-
bis subministrantes: & ex omni terra marique, quicquid vel anni tem-
pora gignunt, vel regiones singulæ, fluvii, paludes, artesque tum Græco-
rum, tum Barbarorum proferunt, ad vos defertur. Quapropter si quis
velit ista omnia spectare, is vel omnem peragret orbem, vel in hac urbe
versetur, necesse est. Quicquid enim apud alios crescit aut paratur, hic
etiam semper adfluit. Tantæ autem hic appelluntur singulis anni tem-
poribus autumnique conversionibus holcades onerarie, ut urbs commu-
nis quedam totius orbis officina videatur. Longum autem foret de
Domibus privatis, deque Templis, atque Foris, & Balneis Thermis-
que, de Statuis quoque, & Viis, & Aqueductibus narrare: etsi in hac
quoque parte urbs ista omnes orbis urbes superaverit; quod & fidi
auctores dicunt, & opes atque ambitio Romana facile persuadent.
Quicquid enim Artificum insigniorum Græcia aut Asia habuit, Ro-
mam evocabantur, aut ultro veniebant. Quippe hic præmia: &
quidem ex iis, quibus (ut Taciti verbum usurpem) ingenium & auda-
cierat, etiam quæ natura denegavisset, per artem tentare. Compen-
dio ista, sed magnificè complexus est *Martialis*, cùm ait: *Cui*



Cui pars est nihil, & nihil secundum.

Ast Claudianus, ut est sonorus ac sublimis, ubertim id fecit, atque animose:

*Qua nihil in terris complectitur altius æther,
Cujus nec spatum visus, nec corda decorem,
Nec laudem vox ulla capit, quæ luce metalli
Æmula, vicinis fastigia conserit astris.*

*Armorum Legumque potens, quæ fundit in omnes
Imperium, primique dedit cunabula Juris.
Hæc est exiguis quæ finibus orta tetendit
In geminos axes, parvaque a sede profecta,
Dispersit cum Sole manus: hæc obvia fatis,
Innumeras uno gereret cum tempore pugnas,
Et Gallum terris prosterneret, æquore Pœnum,
Nunquam succubuit damnis, & territa nullo
Vulnere, post Cannas major Trebiamque fremebat.*

§. 15. Redimus autem quasi post longam evagationem, dum nos tenent tot mira, iterum ad seriem CURÆ DEI: quam novam, & multum vigilem & perspicacissimam deprehendimus, dum post datum Imperio Romano tam insigne Patrimonium, & tam condignam Sedem, etiam porro MENTEM, CONSILIUM, & SCIEN-TIAM REGNANDI dedit. *Livius* noster ita quasi in genere: *Ex-cellentibus, inquit, ingenii, citius defuerit ars, qua civem regant. quam qua hostem superent.* Sed pressius ad hoc argumentum nostrum materiamque de Romanis Aristides ὅπω τερψίνην ήν τὸ ἀρχεῖον εἰδένα. Καὶ τῇσιν ὑμέτερον ἐστιν ἔνεγκα, nulla ante vos existit imperandi scientia (alioqui Græci, qui sapientia ceteros antecelluerunt, eam habuissent) sed & inventa illa à vobis, & una cum reliquis est introducta. Pergitque deinde: *Quod enim Atheniensibus tribui solet, id etiam de Græcis omnibus verè dici potest, in oppugnandis tyrannis, & Persis, atque Lydis vin-cendis, tum paupertate & molestiis omnibus sufferendis, omnium fuisse, præstantissimos: ἀρχεῖον δὲ αὐτοὶ αὐτοὶ ησαν, πειρώμενοι τε εἰ-σοφάλλοντο, imperatoria artis etiam tunc rudes exstitisse, eamque cum exercere vellent, multum impegisset.* Docetque deinde copiosè, planeq; pragmaticè, nescivisse Græcos disponere præsidia, domi fuisse per distractiones infirmos, imperium amplificasse ægrè, cum extremis ad

id



id continendum aptis carerent; ac neque adeo vires subditorum, neq;
imbecillitatem ipsis placuisse, nescivisse subjectis uti, adversus defecto-
res defectoribus aliis pugnasse, civitates nec humanitate nec vi in fide
retinere calluisse &c. Omnibusque jam dictis sic concludit demum:
Quod igitur superioris et atis homines penè omnes effugit, id VOBIS IN-
VENIENDUM ET ABSOLVENDUM FUIT RELICTUM. nec
mirum. Quemadmodum enim in aliis rebus oblata materia prodeunt
Artes, ita ad maximi Imperii & excellentis potentiae constitutionem simul
ars est comparata, & introducta, & utrumque per alterum confirmatur.
Ult enim cum Imperii magnitudine necessario conjuncta fuit experientia:
it aper Imperii scientiam incrementum habuit merito potentia. Jam ve-
ro artem civilem & magnanimitatem consiliorum Urbis maxime debemus
considerare & admirari, ceu nusquam similem reperturi simus. I. c. Et
quam pulchra sunt vero, & quam subtilia, quæ deinde de Romanis il-
lis artibus seorsim exponit. Sed servet potius Exercitatio formam su-
am. idque unum hic saltem ex Virgilio addamus:

Excudent alii spirantia mollius æra,
Credo equidem, & vivos ducent de marmore vultus:
Orabunt caussas melius, cælique meatus
Desribent radio, & surgentia sidera dicent:
Tu REGERE IMPERIO populos Romane memento,
Hæ tibi erunt artes, pacique imponere morem,
Parcere subjectis, & debellare superbos. Æn. VI. 847. seq.

Prorsusque eodem sensu Cicero: Sed meum judicium semper fuit,
omnia nostros aut invenisse per se sapientius quam Græcos, aut accepta
ab illis fecisse meliora; quæ quidem digna statuissent, in quibus elabora-
rent. Nam mores & instituta vitae, resque domesticas ac familiares, nos
profecto & melius tuemur & lauius: rem vero publicam nostri majores
certe melioribus temperaverunt institutis & legibus. Quid loquar de
re militari? in qua cum virtute nostri multum valuerunt, tum plus etiam
disciplina. Tusc. Qu. I.

§. 16. Quo tamen difficillimam artem & illas imperatorias
provisiones tanto discerent Romani penitus, DIVINA rursus
CURA, semper pro bono gentis excubans, non per læta modo atque
mollia, sed frequenter etiam per dura, difficilia, periculosa, ac tan-
tum non aliquando extrema per omnia Romanos, sed eventu demum
bono



bono duxit. Vix dum natà Roma, cum admissis per proditionem
hostibus in ipso foro præliandum fuit, tam ancipiti pugna, ut Ro-
mulus ultimis necessitatibus evictus, JOVEM ORARET, ut foedam
suorum fugam sisteret. Hinc Templum, inquit Florus, & Stator Ju-
piter. Tandem sevientibus intervenere raptæ laceris comis. Sic pax
facta cum Tatio, foedusque percussum. Secutaque res mira dictu,
ut relictis sedibus suis, novam in urbem hostes demigrarent, & cum generis
suis avitas opes pro dote sociarent. I. i. Liv. I. 13. Post pulsos deinde
Reges, Porsenna Etruscorum Rex quid aliud quam jam tenebat Ro-
mam? nitunc illa, ut inquit Florus, Romana prodigia atque miracula
(sed unde nisi a manu DEI?) Horatius, Mutius, Clælia fuissent? Que
nisi in Annalibus forent, hodie fabulæ viderentur. I. 10. Mittimus au-
tem circa minores casus, incendia, inundationem, famem, pestem,
seditiones, & si quid his simile, quod alioqui in Livio & Plutarcho,
cum primis religiosis viris reperire pronum foret occupari: cum non
nisi extantissimum quodque exemplum narrandum sit. Quippe inde
nos Galli in se vertunt, qui fuso exercitu Romano, urbe ipsa incensa,
sex mensibus deinde circa Capitolium pependere; nec diebus modo,
sed noctibus quoque omnia experti. Verum enim vero calamitatem
istam Florus DIVINITUS illatam in experimentum putat, scire volen-
tibus immortalibus DIIS, an Romana virtus imperium Orbis mereretur?
I. 13. Nec dubitat post paullo DIIS immortalibus ipso tanta cladis no-
mine gratias agere. Pastorum enim ait casas ignis ille, & flamma pau-
pertatem Romuli abscondit. Incendium illud quid egit aliud, nisi ut de-
stinata hominum ac Deorum domicilio civitas, non deleta, non obruta,
sed expiata potius & lustrata videretur. Igitur post assertam à Man-
lio, restitutam à Camillo urbem, acrius etiam vehementiusque resur-
rexit. I. c. Et visa est iterum fortuna meditari atrox quippiam ac fæ-
vum, cum victor primo prælio Pyrrhus, tota tremente Campania, Li-
rim Fregellasque populatus, prope captam urbem à Prænestina arce pro-
spexit, & à vicefimo lapide oculos trepidæ civitatis fumo ac pulvere im-
plevit. Eodem vero poste ab exuto castris, bis saucio, & in Græ-
ciam trans mare fugato, pax & quies: sed tanta adeo de opulentissimis
tot gentibus spolia, ut victoriam suam Roma non capere. Flor. I. 18.
Jam ad mortem plaga, Punicum bellum secundum. Annibal sum-
mus ducum in Italiam ipsam venit, sylvam exscindere parat, in qua

C

stabula-



stabulabantur Martiales isti lupi : & pene fecit. Tribus præliis magnis victor, & ultimo Cannensi, quid nisi totum virilem sanguinem Romanum exhausit? Dubiumque, inquit Florus, deinde non erat, quin ultimum illum diem habitura fuerit Roma, quintumque intra diem epulari Annibal in Capitolio potuerit. Sed tum quidem illum aut FATUM urbis imperaturæ, aut ipsius mens mala, & AVERSI a Carthagine DII, in diversum abstulerunt. II. 6. Alio item tempore, cum denique totis viribus Romanæ converteretur, & à tertio lapide castra moveret, iterum Florus, IPSOS DEOS, DEOS inquam, nec fateri pudebit, restitisse ait. Tantam enim ad singulos illius motus vim imbrium effusam, tantam ventorum violentiam coortam fuisse, ut DIVINITUS hostem summoveri, neque cælo, sed ab urbis ipsius mœnibus & Capitolio ferri videretur. I. c. §. 44. Post verò neque ita multo occisus Asdrubal, Annibal's frater, & ultimus ipse Annibal à Scipione ex Italiam extractus inque Africā cæsus est. Præmium victoriæ Africa, & secutus statim Africam terrarum orbis. Confirmant idem, sed de Romanis solis, Livius, quo loco ait, magnitudinem populi Romani ADVERSIS prope rebus admirabiliorem quam secundis. Consentitque & Florus II. 2. 22. cum inquit, hic paululum circumdata fortuna est; tantum ut plura essent Romanæ virtutis insignia: cuius ferè magnitudo calamitatibus approbatur. Sed enim vero diffusè, & oratorium in modum Seneca: Inter multa, inquit, magnifica Demetrii nostri & hæc vox, à qua recensum, sonat adhuc & vibrat in auribus meis: nihil, inquit, mihi videtur infelicius eo, cui nihil unquam evenit adversi. Non licuit se experiri. It ex voto illi fluxerint omnia, ut ante votum: male ramer de illo Dii judicaverunt. Indignus visus est à quo vinceretur aliquando fortuna, quæ ignavisissimum quemque refugit; quasi dicat: quid ego istum mihi adversarium assumam? statim arma submittet. non opus est in illum totâ potentia meâ: levi comminatione pelletur. non potest sustinere vultum meum. Alius circumspiciatur, cum quo conferre possim manum: pudet congregari, cum homine vinci parato. Ignominiam judicat gladiator cum inferiore componi; & scit eum sine gloria vinci, qui sine periculo vincitur. Idem facit fortuna: fortissimos sibi pares querit, quosdam fastidio transit. Contumacissimum quemque & rectissimum aggreditur, adversus quem vim suam intendat. de Provid. III.

§. 17. Sive autem per aduersa Romanorum, sive contra per secuna

secunda incedimus, reperimus utrinque paucorum civium egregiam
virtutem cuncta patravisse. Sciebam, inquit, isto loco Sallustius,
se penumero parva manu cum magnis legionibus hostium contendisse:
cognoveram parvis copiis bella gesta cum opulentis Regibus: ad hoc sepe
fortunæ violentiam tolerasse: facundia Græcos, gloria belli Gallos ante
Romanos fuisse: sed tamen, insinuat velut tacitè ex pervertito versu,
antiquis & moribus & viris res Romana stetit. donec luxu atque
desidia civitas corrupta est. Exin, inquit, Roma jam exhausta viribus,
velut effæta parens, quæ continuo partu, aut agro ventre non amplius pa-
rit, vixillum aut rarissimum quemque eximium virum dedit. Illusris
omnino locus, extans Catil. LIII. cui insistamus etiam, dummodo pri-
us reprehenderimus Sallustium, quod hunc ipsum egregiorum viro-
rum proventum, neque causis certis, & infallibilibus, sed vel parenti
Romæ, hoc est, quid aliud quam casui & fortunæ, vel certe vagis stel-
lis, aut si nihil ultra concipere animo potuit, attribuit FATO, hoc
est nexui caussarum latentium, & multo ante destinatarum, quæ su-
um quæque ordinem immutabili lege percurrunt. Sic fere Stoici,
sic quisquis etiam Stoicorum sententiam amplexus. Sed citandus
nobis hic iterum, quasi ex intervallo, Divus Augustinus est: etsi de
regnis loquens: sed scimus viros esse instrumenta atque fulcra re-
gnorum. Sic vero ipse, prorsus, inquit, divina providentia regna con-
stituuntur humana. Quæ si propterea quisquam fato tribuit, quia
ipsam DEI voluntatem vel potestatem fati nomine appellat, sententiam
teneat, linguam corrigat. Cur enim non hoc primum dicit, quod postea
dicturus est, cum ab illo quisquam quæsierit, quid dixerit Fatum? Nam
id homines quando audiunt, usitata loquendi consuetudine non intelli-
gunt, nisi vim positionis siderum, qualis est cum is nascitur sive concipitur:
quod aliqui alienant à DEI voluntate, alii qui ex illa etiam hoc pendere
confirmant. Sed illi qui sine DEI voluntate decernere opinantur sidera,
quid agamus, vel quid bonorum malorumve patiamur, ab auribus omni-
um repellendi sunt: non solum eorum, qui veram religionem tenent; sed
qui Deorum qualiumcunque licet falsorum volunt esse cultores. Hæc
enim opinio quid aliud agit, nisi ut nullus omnino colatur aut rogetur
DEUS? de Civit. DEI. V. I. Profectò enim à DIVINA CURA VIRI
isti proveniunt, etiam apud infideles. Nam de Josepho, Mose, Josua, Da-
vide, Daniele sicut ambigit nemo: ita plane etiā iisdem initiis Miltiadis
felicitas,

felicitas, Themistoclis ingenium, Aristidis æquitas, Cimonis benignitas, Agesilai prudentia debebitur. Ac stabunt in hoc Albo denique omnes illi, quibus in felicitatis Romanæ ministerio uti per ea tempora DEI CURA voluit: ut parens ille *Romulus*, vir egregius factis, ut *M. Furius Camillus* vir verè unicus in omni fortuna, ut *L. Papirius Cursor*, quem vel Alexandro M. parem, si venisset, Livius opponit, ut *Brutus*, & *T. Manlius Torquatus* indeflexo rigore, ut *M. Claudius Marcellus* igneo impetu, ut *Q. Fabius Maximus* salubri tarditate, ut *P. Scipio Africanus* divinâ felicitate, ut *Scipio Æmilianus* divinâ virtute, aliisque præterea illustres viri per quam multi, vel fortunâ, vel peritiâ, vel magnitudine & celeritate animi, vel justitiâ, continentia, constantia, fortitudine pene super & naturam atque fidem humanam evesti. Ac memorabile omnino est quod de Augusto Cæsare *Svetonius* prodidit, cum proximum à DIIS immortalibus honorem memorie ducum præstisset, qui Imperium Romanum ex minimo maximum reddidissent: itaque & opera cuiusque manentibus titulis restituisset, & statuas omnium triumphali effigie in utraque Fori sui porticu dedicasse: professumque fuisse editio, commentum id se, ut illorum velut ad exemplar & ipse dum viveret, & in sequentiam et atrum Principes exigerentur à civibus, A. XXXI.

§. 18. Ne qua vero sine LITERIS & doctrinâ elegantiori foret RES ROMANA, etiam in hoc DEI CURA providit. Nec tamen ferè ante bellum Punicum secundum. Ita quippe Mars & horrida virtus omnia diu Romæ obtinebant. Verùm ubi intrata postea & capta ipsa GRÆCIA: victores iterum cepit, & feliciter artes suas intulit & diffudit. Magno gradu tunc itum ad variam doctrinam. Sed primo ad Eloquentiam maximè, ut quæ conjuncta cum rebus gerundis, & aptissima gubernantibus esset. Mox & Historia successit, & Philosophia, & quicquid ad animos colendos, aut honestè oblectandos facere creditur. Studiis autem non omnes, sed primores se dabant, & ii qui vel erant in Republica, vel ad eam se præparabant. Ceterum hi quoque discebant fere cum modo, nempe ut quod satis esset haurirent, & ad rem adque usum transferrent. Talis Scipio ille posterior, talis Sylla, Pompejus, Lucullus, Cæsar, alii uno verbo, quicunque in Republica eminentes, postea fuerunt. Doctores etiam paullatim in privatis primo Principum ædibus, mox & in publico ac stipendiis publicis, audit, conducti, & præmiis varie affecti, vid. *Lipsum Magn. Rom.* IV. 10.

§. 19. Su.



§. 19. Superest demum ut monstremus DEI CURA provisu-
que etiam annosam ac veteranam REM ROMANAM factam. Sic
enim convenit per modestiam & ex vero loqui. Quod secus tamen
Maronianus ille Jupiter jactavit:

His ego nec metas rerum, nec TEMPORA pono:

IMPERIUMQUE SINE FINE dedi Aen. I. 282.

De immensitate rerum etiam Faunus aliquis eundem apud Vatem,
consulenti Latino responderat:

— — — quorumque à stirpe nepotes

Omnia sub pedibus qua Solutrumque recurrens

Afficit Oceanum vertique regique videbunt. Aen. VII. 99. seq.

Et apud Petronium:

Orbem jam totum vicit Romanus habebat.

Quasi que deinde rebus tam immaniter auctis lex Romanis ita loqui,
nec Poëtis modò, Romanos rerum dominos Aen. I. 286. Sed Cicero et-
iam vir cum primis gravis, nos inquit, Principes terrarum omnium
gentium, Philipp. III. & VI. populus Romanus vicit dominusque o-
mnium gentium, & in fine: quem DII immortales OMNIBUS gentibus
imperare voluerunt. De perpetuitate tamen rerum circumspectius:
quasi que ita sperarent fors futurum, locuti sunt; Plutarchusque:
Fortuna, inquit, Persis & Assyriis desertis, cum leviter pervolasset Ma-
cedoniam, celeriterque abjecisset Alexandrum, Aegyptumque deinde &
Syriam per agrando regna distulisset, & sepe conversa Carthaginenses tu-
lisset: postquam transmissio Tiberi ad Palatum appropinquavit, alas
deposita, talaria exuit, ac infideli ac versatili illo globo missa facta, ita
Romam intravit ut MANSURA de fort. Röm. 317. Sallustius vero
conditione addita: Ego sic existimo, quoniam orta omnia intereunt: qua
tempestate urbi Romæ fatum excidii adventarit, cives cum civibus manus
conferturos, ita defessos & exangues Regi aut nationi præde futuros.
ALITER non Orbis terrarum, neque cunctæ gentes congregatae move-
re aut contundere queant hoc Imperium. de Rep. O. I. Velutique solatia
jam etiam miscens Cerialis apud Tacitum sub Vespasiano, octingen-
torum, inquit, fortuna disciplinaque compages hæc coaluit: quæ convelli
sine convellentium exitio non potest. H. IV. 74. Nihilominus votum,
spem, animos, fiduciam multa dabant, ut plus aliquid de se aliis
crederent. Non modo si apud Florum legas: Populus Romanus &
Reges

Rege Romulo in Cæsarem Augustum, septingentos per annos tantum operum pace belloque gessit, ut si quis magnitudinem Imperii cum annis confirat, etatem ultra putet. Ita late per orbem terrarum arma circumulit, ut quires ejus legunt, non unius populi, sed GENERIS HUMANI facta discant. Nam tot laboribus periculisque jactatus est, ut ad constitutendum ejus Imperium contendisse Virtus & Fortuna videantur. Praefat. Sed hoc amplius etiam, si quis in Aristide tot pignora securitatis publicæ, ac pene jam PERPETUITATIS aut fidem, aut persuasione legens, volvat ista ac revolvat cum animo suo, conferatque aut universa invicem, aut singula rursus separatim pervideat, examinet, exigatque demum ad civiles illas atque militares libellas. Tum enim reperturus est multa, & magna, & inusitata firmissimi omnium ac vere adamantini Imperii momenta. Qualia sunt, quod super magnitudinem jam partam, & in tam infinita bellandi regnandi scientia, inexhausti milites, & supplementa semper praesto erant ex genere humano, quod milites undecunque lecti conspirabant æquilater ad amandam tuendamque Romanam, quod subditorum nobilissimos ac potentissimos in civium numerum adscriptis, reliquis inter subditos relatis, tali modo Europam, Asiam, & Africam nemine jam peregrino indistinctam effecerant: quod vel praesidiarios exercitus classesque artificiosissime disposuerant, vel quasi demum nullius praesidii egebant; cum præstantissimi quique & maximi civium Romanorum sparsim habitantes, Romanis Romanis custodirent singuli; quod moenia non Urbi sed Imperio circumdata videbant; totque ubique Colonias possidebant, & internas, & intermedias, & limitaneas, ad Euphraten, ad Phasin, ad Oceanum, ad Rhenum; Quodque Nili cataractæ, Rubrum mare, Mæotis palus Romæ vallorum vicem obtinebant: hæc erant profecto, quæ Romanos erigere celsius, & supra quam alii populi ivere, supraque quam ipsa conditio mortalis porrigitur, evchere valebant. Credidere itaque postremo, atque ita passim in Libris, in Inscriptionibus, inque Nummis prætulere, idque Templis etiam Effigieque positis testati sunt, ROMAM DEAM, ROMAM ÆTERNAM. Cui enormi opinioni præluserat forsitan Martialis; Terrarum DEA Gentiumque Roma: Sed nempe Poëta. Verum in stylum sensumque publicum, ante Antoninorum tempore, nunquam ista recepta sunt. Vid. Spankem. de usu Numism. Dis fert.

fert. V. Nobis si cetera desint, vel ex Cicerone ita persuasum est, *nihil*
quod ortum sit, æternum esse posse. Quanquam hoc interim explora-
tum est, nullum aliud tam magnum Imperium tamdiu perseverasse.
Aristides in Panathenaica quinque omnium maxima Imperia hæc
agnoscit, Assyrium, Medicum, Persicum, Macedonicum, Romanum.
Omnes autem anni *Affyriorum*, à primo anno Nini, supputantur
M. CCXL, inquit Eusebius; *Medorum* anni eundem juxta CCLIX.
Persarum Regnum stetit annis CCXXXII. *Macedonum* potentia sta-
tim ab excessu Alexandri divulsa per partes; si tamen, usque dum
aliquid in Ægypto superfuit, conferas ad totam summam, annos ha-
bebis plus minus CCC. Ast plures reperias omnino inita recensione
Romani ævi. Sive tu numeres ab Urbe condita ad Constantinopo-
lin captam, cum qua simul Byzantium sive Orientale Imperium, &
pars adeo altera superstesque Imperii Romani concidit: (namque
ita etiam in Monarchia Græcorum finem Imperio cum Ægypto po-
nimus, quæ ex tota, ut sic loquar, massa, ultima in potestatem Roma-
nam concessit:) Sive denique sequaris illos, qui Romani Imperii
eundem, quem totius universitatis rerum finem futurum defendunt.
Nec enim obesse causæ dicunt, quod mutatio aliqua status per vices
quasdam intervenit. Mansisse quippe idem semper Imperium &
sub Regibus, & sub Consulibus, & sub Principibus: ac mansisse tum
quoque, cum sub istis scissum divulsumque, & caput alterum in
Thraciam aut Græciam translatum fuit: postremo & reliquias ejus
cum nomine etiam nunc in Germania vivere: vivere? imo vero &
movere nunc maxime facertos, sub LEOPOLDO CÆSARE, & præ-
ter spem omnium senectutem ipsam Imperii, quasi redditia juventute
revirescere.

§. 20. Sed jam tandem procedendum est ad alteram Exercitati-
onis partem, quâ dicere etiam de FRUCTU USUQUE tantæ DEI de-
RE ROMANA CURÆ promisso meminimus. Nec enim gratis unquā
aut in vanum cogitantem curantem JOVEM, Deosque ceteros, aut
Maro, aut *Homerus* finxit. Quin sanctos & justos, ac memorabiles & op-
timos fines habet semper CURA DEI. Et quantum separatim ista de
Romanis rebus DEI CURA orbem terrarum juverit, quâ modo inge-
nium, tempus, paginæque tulerint, evolvere consilium est.

§. 21. In limine ipso fas sit nobis pie esse curiosis, & inspiciendo
quasi



quasi in ipsū curā DEI penetrāle reperire illuc (humanis autem formulī modo loquor) DEUM ita ista CURA sua delectatum ipsum; quasi cum Apelles vel Lysippus pulcherrimis operibus incumbunt, & his perfectis gaudent: ut credibile est Phidiam quoque elaborato jam Jove, aut extracto jam Pantheo, vel ceteris ædificiorum miraculis, Architectos gavisos. Ecquod autem excelsius magnificentiusque ac DÉO dignius opus, quam Imperium tam grande, ac potens, & omnino inimitabile? quod nos quidem in priore Exercitationis membro clarum fecimus. Ast hic adjicimus illud quoque, DEUM ipsum, quoties Imperia ejusmodi condidit, ac multo etiam ante quam consideret, prodidisse mortalibus, tantumque non jactasse aliquando de his immanibus machinis, Regesque ac Gentes, & facta patrata veluti annumerasse. Idque de Assyriorum, Persarum, & Macedonum Imperio, ex divinis libris inspectis, nimium quam multis in locis, ac planè manifestè liquet. Nos de Romano modò, neque nisi pauca hic dicemus. Ita enim Colossus iste Nabuchodonosoris, de quo apud Danielē legere est cap. II. 27. seq. post tria illa QUARTUM etiam hoc, seu Romanum Imperium repræsentat: quicquid etiam nonnullis placuit de Alexandri successoribus configere, quasi isti notentur. Nam primū omnium Daniel capite VIII. Alexandrum & successores unum Regnum facit: cum neque hic causa ulla esset, cur Alexandrum à Successoribus sejungeret. Dein planè nequit fieri, ut in imagine exhibente Regna post id ventura, non contineretur etiam illud tam notabile Romanum; quod finem dare debuit, ac plane etiam dedit Regno Græco. Romanos vero facere populum illum, qui est lapidis de monte defracti, id verò temerarium dictu est; eo quod Cæsares & Populus Romanus, tribus post CHRISTUM natum sacerulis etiamnum in Gentilismo perstantes Populus sanctorum audire nequeunt. Præterea quartum Imperium Christianæ Ecclesiæ succumbit. Ast Regnum successorum Alexandri ad ortum Christianorum non perduravit. Tum verò porrò lapis de monte revulsus notat CHRISTUM. Is vero sub quarto Imperio nasci & occidi debuit. Idque ita sub Imperio Romano evenisse Lucas, ceterique Evangelistæ testes sunt. Denique sic Colossi illius quarta pars cum Imperii Romani statu & mutationibus conformis est, ut religio nobis sit aliter quam mens atque intentio monstrat, verba Spiritus Sancti interpretari. Nam duo crura divisi-
onem

onem Constantini manifestè arguunt. Quod autem pedes partim
ferro, partim argilla constitere, id ad Cæsarem & ad Papam referen-
dum est; qui in eodem Imperio potestatem summam jam à multis
sæculis exercent: Cæsar ferream, gladio armatam, legitimam; Papa
testaceam, illegitimam, gladio destitutam, & eum usurpantem tamen,
solo illo mendacio subnixum, quod DEUS velit regnare per aliquem
Vicedeum, seu VICARIUM, quem ille nempe se jactat. Hæc ex-
cerpsisse nos, ex Johannis Cocceji Commentario ad Danielem, sine tergi-
versatione profitemur; lætatiq[ue] sumus, cum apud eundem inveni-
remus jam tunc Mosis ævo de Romanis prædictum. Planè enim
disertè Bileamus Vates, naves inquit venient præter Chittæos, & debilita-
bunt non tantum Assur, sed & Eber. Distinctis enim temporibus venere
classes præter Chittæos hoc est ab Occidente: primò quando Græci
Persas domuerunt: deinde quando Romani Persarum domitores
Græcos, atque mox etiam Judæos perculere, quod Vespasiani tem-
pestate factum est. Plerique interpretum ad Imperium Romanum
applicant & Dan. VII.7.23. seq. Sed Coccejus dissentit. Illud extra
dubium ponendum est, prædictissime de Romanis cap. XI. 26. quod urbem
ac templum Hierosolymitanum eversuri sint: nec non v. 18. quod
Antiocho ademturi Asiam: & v. 29. quod ejusdem Regis adversus
Ægyptum machinas impedituri sint.

§. 22. Veniendum autem jam deinde ad caussas finesque, quos
extra semet, alios quoque, & insignes, ac laudatissimos, in fovendâ
RE ROMANA, DEI CURA habuit. Ubi in mentem Solon venit, vir
sapientissimus, qui ut apud Ciceronem est Ep. ad Brut. XV. præmio &
pœnâ Rempublicam contineri dixit. Continebitur ergo Orbis quoque,
præside ac dispensatore DEO omnium, istis vinculis. Et DEUS in
Imperio Romano tam providè tantaque cum curâ efformando, haud
dubiè & ipse de coërcendis castigandisque terris, simulque etiam de
ornandis beneficioque afficiendis cogitavit. Cum lascivirent
jam nimium Assyrii & Babylonii, otioque atque molliciis fluerent,
& nimium felices essent malo suo, natus Cyrus est. Cum degeneres
Persæ, ut imperii, sic vitiorum magnitudine graves esse inciperent,
Alexander natus est. Cum in Græcia, perque Asiam, & in Ægypto
insaniretur, turbaretur, sœviretur, jura omnia divina & humana
polluerentur, Paulli, Scipiones, Pompeji, Cæsares ad vindictam pro-

D

gressæ



gressæ ad extreum improbitatis, luxuriæ, ambitionis; non aliter
à DEO adhibiti sunt. quam sicut gemmis quibusdam anguium venena
profligantur. Atque ita ad frenum Carthagini nimis jam impotenti
dandum Scipio dimissus est. Sic Italorum, Hispanorum, Gallorum,
Germanorum, Pannorum peccata perpurgata sunt, ministris ubique
& executoribus justitiae divinæ Romanis. Perinde ut Turcæ postea
in magnitudinem penè Romanæ æmulam sublati sunt, ut per hos
pœnæ fumerentur à Christianis nimium jam DEO & CHRISTO suo
ingratis. Hunc morem, & hos animadversionum publicarum veluti
ritus DEO esse, primum omnium Historia universa sacra, ac divini
Vates, locis penè infinitis nos docent. Sed neque gentiles ipsos
Scriptores ista DEI ratio modusque unquam fugit. Quibus allega-
tionibus tamen omnibus prætermisis, nos id solum ex Euripidis
Scholia citabimus, lectori non fortasse injucundum: traditur quod
terra gravata multitudine hominum precatas sit Jovem, uti pondus ipsius
levius ficeret: Jovem in ejus gratiam excitasse Thebanum, atque Iliacum,
bellum; quo plurimis è vivis sublati terræ sublevatio fieret. Orest. 1643.
Ac verò bene agi secum putare poterant, qui in vim Romanam inci-
dissent. Nulli enim genti mitiores placuer pœnae, Liv. I. 28. Et magnitu-
dinem populi Romani ignoscendo auctam, ausus est planè profiteri L.
Philippus Sallust. fr. Hist. I. Sic apud Tacitum bellorum egregii fines
quoties ignoscendo transigitur. A. XII. 19. Sed sit super omnes testis
Cicero, qui de majoribus suis cum agit, exitus ait, bellorum erant aut mites
aut necessarii. Off. II. 8. cum primis vero Off. I. II. bella suscipienda sunt
ob eam causam, ut sine injuriâ in pace vivatur. Parta autem victoria
conservandi sunt it, qui non crudeles in bello nec immanes fuerunt: ut
mijores nostri Tusculanos, Volscos, Æquos, Sabinos, Hernicos in civitatem
etiam acceperunt: at Carthaginem & Numantium funditus sustulerunt.
Manet interim firmum ratumque, quod ab initio dictum est, & Divus
quoque Augustinus in ipso initio pulcherrimi operis defendit, solere
divinam providentiam corruptos hominum mores bellis emendare. de Civ.
DEI. I. I. Ita quippe medici instar DEUS habet, qui, ut Senecæ
lectissimis verbis utar, primò in levibus vitiis tentat non multum ex
quotidiana consuetudine inflectere, & cibis, potionibus, exercitationibus
ordinem ponere, ac valetudinem tantum mutata dispositione firmare:
proximum est ut modus proficiat. Si modus & ordo non proficit, subducit
aliqua



aliqua & circumcidit. Si ne adhuc quidem respondet, interdicit cibis, & abstinentia corpus exonerat. Si frustra molliora cesserunt, ferit venam, membrisque, si adhaerentia nocent, & morbum differunt, manus adfert; NEC ULLA DURA VIDETUR CURATIO, CUJUS SALUTARIS EFFECTUS EST. De Ira. l. 5.

§. 23. Caussam aliam finemque CURÆ DEI DE RE ROMANA invenimus istum, quo Orbi, sive terris, ad quas majestas tanta porrigebatur, DARET CULTUM atque DISCIPLINAM. Sumamus exemplum à majore alio, quantum CHRISTUS contulerit terris in circuitu omnibus, atque etiam barbaris maximè barbarorum auditus. Aut si in materiâ civili hærendum sit, quid non utrisque Indiis profuere à duobus jam sæculis eò commeantes Europæ? excepto tamen, quod auri argenteique, ac mercium modò caussa eo pertracti, mores ut plurimum sine cura habuere. Ast Alexandrum Plutarchus præstantissimum Asiae Philosophum Magistrumque maximum morum probat; eo quod Hyrcanos conjugia, Arachosios agriculturam docuit, & Sogdianis, ut aterent, non interficerent Patres, Persis, ut venerarentur non uxorum loco haberent Matres persuasit. O admirabilem Philosophiam, que fecit ut Indi Deos Græcorum colerent, & Scythæ mortuos humarent, non ut ante comedenter. Admiramur Carneadis vim, qui Asdrubalem quendam, domo Cartaginensem, Græcos mores institutaque amplecti perpulit; & Zenonis, quod Diogenem Babylonum ad Philosophiam perduxit. At vero Asia ab Alexandro pacata Homerum passim legebat, & Persarum, Susianorum Gedrosiorumque filii Euripidis ac Sophoclis cantabant tragœdias. Et Socrates quidem novos in civitatem genios inducens, pœnas Atheniensibus Sycophantis dedit: Alexandri opera factum est, ut Bactra & Caucasus Græcorum DEOS adorarent. Plato unicam Reipub. formam scripsit, neque cuiquam persuasit, ut eâ uteretur, quod esset austera. Alexander amplius LXX. urbibus apud barbaros conditis, disseminatisque per Asiam Græcis institutis, à ferâ & belluinaâ vita ratione homines detraxit. Ac Platonis sané leges pauci legunt; Alexandri legibus multa hominum millia usq; sunt, & utuntur: victique eo feliciores illis sunt, qui victorem Regem subterfugerunt; cum horum vita misera nemo finem attulerit, ILLOS VICTOR COEGERIT FELICITER VIVERE. de virt. & fort. Alex. l. 328. Neque nobis tædio fuit tam prolixum locum describere. Nam applicationem

apertam etiam ad REM ROMANAM habet. Nunquam enim tot provinciae ad mansuetudinem & humanitatem traductæ forent, si non fuissent à Romanis domitæ: nec habituræ erant tot colonias, quibus barbara multorum feritas repressa sensim, moresque de malis in bonos consuetudine redacti. Proinde si rectè maximam sibi laudem Philosophi inde petunt, quod dura & inculta ingenia emolliunt atque componunt; meritò pro summis Philosophis Romani habendi sunt, qui tot efferas gentes, & indomitas penè indoles cicuravere. Sunt pleraque iterum Plutarchi verba, ex loco citato; præterquam quod pro Alexandro Romanos ubique subdidimus. In quo facto adeò non fefellit comparatio, ut si de virtute verâ ejusque institutione sermo sit, plus mihi Roma, & Romani viri, plus unus Cato, quam trecenti Socrates, & gens Græcorum universa valeant; ne Lacedæmoniis quidem ipsis exceptis: etsi hi, quamdiu Lycurgi præceptis stetere, præclarissimâ famâ, legesque ac mores eorum peculiari libro commendandos ipse duxerit Xenophon. Nam ingenia Græcorum multum universe habuere de vano; philosophâ plerumque sententiâ, & ignavissimâ operâ; dum Romanis contra indoles stabilis, mosque rectus, & actus simplex atque generosus fuit; cum nihil facerent, ut facere viderentur, sed quia aliter facere non poterant.

§. 24. Et intererat adeò disciplinæ terrarum orbis, hos mores, & hæc exempla quam latissime per populus spargi. Verum longius etiam à DIVINA CURA itum, decretumque est, ARTIUM quoque COMMUNICATIONEM generi humano expedire, quarum rerum ministri & executores Romani forent: non tantum quo suarum artium participes facerent alios, sed & ipsi ab illis plurima, & utilia profectò addiscerent. Confluxerat Populus Romanus ex tot rivis; qui ut aquas, sic & fordes vehunt. aquilia & θεραπεία pro titulo & inscriptio interim, dum pluribus pluribusque populis viciis, à singulis singula didicere. Sunt enim Artes fontes bonorum, quod Xenophon affirmat. Cyrop. VII. sive ut apud Stobæum manifestius sonat, βίσ δὲ εἰς τὸν Φάλειαν ταῦς τέχνας, unum autem vitæ præsidium in artibus situm est. LVIII. Atque si relictis ceteris, quæ de artibus inventis prodidere Auctores, solum non ausimur aspernari Plinium, sic ille ait: Ἀgyptii textilia, fulloniam artem Nicias Megarensis, Sutrinara Boëthius, Erarium fabricam Chalybes, iidem ferrariam, siglinam Corœbus Atheni-



Atheniensis, Fabricam materialium Dædalus, & in eâ ferram, asciam,
perpendiculum, glutinum, lithocollam, normam & libellum, & torum &
clavem Theodorus Samius, Gyges Lydius picturam in Ægypto, in Græcia
vero Euchir Dædali cognatus, vel Polygnotus Atheniensis. H. N. VII. 55.
Habesque hic specimen aliquod non magnarum rerum; sed & plu-
res sunt, & majores quoque, quibus commode interim vita non careat.
Et didicere itaque Romani etiam à victis, à Græcis literas, & ab aliis
alia: contra ipsi impertivere quibus domi excellebant; ut sunt
Principis, Ducis, Patrisque familias boni summæ artes, quas non
ita nosse populos, & in his tribus indigere præcipue magistrorum, ap-
parebat omnibus, minimeq; omnium CURAM ET PROVISIONEM
DEI poterat effugere. Et tam benignum simul Numen erat, ut in his
quoq; rebus orbi vellet esse per Romanos consultum. Enim vero quidé
per hoc tempus dum Romani pugnant, & Imperium ex minimo maxi-
mum faciunt, non defuere terris sui Reges, Syphax, Philippus, Perses,
Antiochi, Prusias, Eumenes, Attal⁹, Jugurtha, Ptolomæi, Dejotarus &c.
Ac neq; Rebus publicis carebant: Atheniensium, Lacedæmoniorum,
Achæorum, Carthaginensium, Rhodiorum &c. Sed præterquam
quod de Græcis jam tum supra ostensum fuit, eos cum alia omnia
tam exacte scirent, solum imperare non scivisse: sic hoc loco illud
de Persicis Regibus ex eodem Aristide adjiciamus, neq; Reges apud ipsos
imperare, neque cives parere calluisse unquam: sed Reges quidem
cives obsequentes contempsisse ut servos, liberos punivisse ut hostes:
yagos & errores Reges, semperque quasi de Regni possessione diffiden-
tes, atque ideo odiis, defectionibus, intestinis jurgiis jactatos semper,
evertisse urbes, occidisse homines, civibus graves, hostibus ridendos.
Quem enim Xerxes dicas? Cum enim is, qui ab Ortu Solis ad Occa-
sum usque regnabat, in Græciam trajicere tentasset: hactenus dun-
taxat, quatenus magnam cladem accepit, admirationi fuit; coque sui
splendoris usus est indicio, quod multis magnisque rebus privari potuit.
Hæc ille in Encomio Romæ. Qui idem porro etiam de Successori-
bus Alexandri insigni observatione subdidit, Alexandrum quidem
Persarum imperium dissoluisse, proxime autem post se non regnasse. Post-
quam enim, pergit dicere, ille obiit, mox in infinitas partes divisi
sunt Macedones, imperii molem suis viribus majorem esse confessi; nec
jam vel suam quisque regionem servare poterant: coque necessitatis de-

D 3

venerunt,



venerunt, ut ad alienam terram oceupandam cogerentur suam deserere,
ac domo potius expulsi, quam vñctores esse viderentur, & instar
enigmatis Macedones, non in Macedonia, sed ubi cunque possent regna-
rent, præsidia potius locorum & urbium, quam principes: & extorres
quidam Reges, qui non a magno Rege, sed a se quisque imperium acce-
pissent, & ut dicam satrapis Rege orbatis similes essent. Talis porro
rerum status non tam regnum, quam latrocinium dicendum videtur.
I. c. Ceterum de Romano Imperio sic inquit iterum: ut aulæ ambi-
tus perpurgatus, ita orbis universus quovis choro exactius secum con-
sentit, & Imperii hujus æternitatem exoptat: quandoquidem ab hoc
coryphæo Principe pulcherrimè gubernatur. Equali autem ubique re-
gitur imperio, adeo ut qui montes incolunt, inorum camporum cul-
toribus humiliores sint, quantum ad obedientiam pertinet; & qui fer-
tiles agros sortiti sunt, vestri sint agricole; neque insula quicquam à
continente differt, verū ut una regio continua, & gens eadem, cuncta
placidè parent. Omnibus mandatis ac nutibus citius quam digitum
moveris, obtemperatur, & mox ubi aliquid decretum fuerit, effectum
datur. Qui autem in urbes & provincias mittuntur Imperatores, ut
singuli suis imperant, ita inter se omnes equaliter parent: & eo viden-
tur à subjectis differre, quod primi rationem parendi tradunt.
I. c. Neque verò de scientia rei militaris quicquam isto loco ad-
dimus, quia nemo dissentit. De PATREFAMILIAS Romano liceat
breviter exponere: convenisse ibi in manum virum ac fœminam,
per virtutem lectos, vixisse sancte, egisse certis liberis, adhibuisse
disciplinam, agrum, jumenta, familiam curasse cum fide, sumtus ex
temperantia descriptos, cibum, vestemque frugalem, triumphales
sæpe manus operi ruri faciendo admotas, ab aratro ad Consulatum
atque Dictaturam vocatos, urbem nonis modo adiisse, vitiorum
ignorantium summam, justum rectumque sponte cultum, ac fortiores
illic mores quam sunt alibi leges. Has ergo artes, si qua secum de-
ferrent Romani, haud illi minus præclare profecto, quam antiquissi-
mi illi inventorum monstratores merebantur: quos tamen pleros-
que constat templis arisque positis, Deorum instar, aut celebratio-
ne tamen publicâ, claros, incomparabiles, æternos factos,

§. 25. Post Artes recte puto collocamus BONA, quæ vel ad
vñctus vita diversissimos ac necessarios etiam, vel etiam ad cultum,
ornatum,

ornatum, elegantiam, splendorem, & quid verēcundamur demum dicere? ad voluptatem sive delectationem appetimus. Nec hæc BONA, si modum serves, bonus ille DEUS unquam generi humano invidit; & ideo etiam, ut per Romanos tot populi alii in COMMUNIONEM illorum BONORUM venirent, voluit CURATUM. Capiamus imaginem quandam interim à Lutetiâ Parisiorum, vel Londono, aut Amstelodamo: & tamen his omnibus copiosiorem ac refertiorem bonis talibus putemus ROMAM. Neque vero hic parandum est verbis, quæ affatim nobis, & mirifico ingenio suggerit Aristides noster: Sed & mare in star cinguli per vestrum aequum Imperium ac per orbem terrarum medium protenditur, cui amplæ regiones latè circumjacent, necessaria pleraque vobis subministrantes: & ex omni terramariique, quicquid vel anni tempora gignunt, vel regiones singulae, fluvii, paludes, artesque tum Græcorum tum barbarorum proferunt, ad vos defertur. Quapropter si quis velit ista omnia spectare, is vel omnem peragret orbem, vel in hac urbe versetur necesse est. Quicquid enim apud alios crescit aut paratur, hic etiam semper adfluit. Tantæ autem hic appelluntur singulis anni temporibus, autumnique conversionibus holades onerariæ, ut urbs communis quedam totius orbis officina videatur. Ac merces primum ab Indis atque etiam à felicibus Arabibus tot advehuntur, ut existimes nudas illic relinqui arbores, ipsisque, si quid rerum suarum requirant, hincesse repetendum. Vests deinde Babylonica atque ulterioris Barbariae ornamenta, buc & plura portantur, & facilis quam si à Naxo vel Cythno sit aliquid Athenas deferendum. Arationes autem vestre Siciliâ, Aegypto, & omnibus Africæ cultis locis comprehenduntur. Jam navium accessus & recessus nunquam apud vos desunt. Quo fit, ut non tam portus quam mare ipsum, quod navibus tot sufficiat, in admirationem venire possit. I.c. Est post pauca: Concurrunt Rome omnia, mercaturæ, navigationes, agriculturæ, metallorum purgationes, artes omnes quotquot sunt, vel fuerunt, & cuæta quæ sunt vel nascentur. Etenim quicquid hic non reperitur, id nec extitisse, nec extare posse creditur. Quocirca difficile est judicare utrum urbis reliquias urbes, an Imperia quæ fuerunt olim hoc Imperium majore supereret interrvallo.

§. 26. Una tamen fatendum est, ut mores, disciplinæ, jura, leges, ritus, utque artes & inventa, & bonorum postremò omnes species

species, communicari tanto expeditius possent, COMMUNIONE
LINGUÆ ROMANÆ cum tot populis effectum esse. Ut jam certe
istum quoque insignem tantæ DEI CURÆ fructum liceat dicere.
Idque fas illud est *Plinius* jam supra §. 4. Nosque præterea ubi in anti-
quiora imus, reperimus, genus omne mortalium primitus unâ Linguâ
usum. Hanc deinde in pœnam audacis cœpti apud Babylonem, per
diversa sermonum genera discerptam, confudisse simul religionem,
mores, instituta, vitam omnem. Nam inde factum, ut quod his
rectum, illis absurdum sit, & Græcus Persam pro Barbaro habeat, &
alii per avia dispersi, horridas situ & ingenio plagas colant, alii mitio-
rem vivendi rationem sectentur: indeque invisi mutuo causis sæpe
levissimis, pervicaciâ aliquando solâ, in bellum, cædes, incendia, & si
quid his est sævius prorumpant. Incredibile ergo dictu est, quantum
ad concordiam orbis profuerit hic Romanæ linguæ usus usque adeo
publicus, ut non jam Romana, ac ne Latina quoque, sed HUMANA,
sive generis humani lingua mereretur dici; ex quo Romani, victis in
circitu populis linguam suam imperavere, hoc successu, ut *Plutarchus*
in *Platonicis Questionibus* non sit veritus scribere *Romano sermone*
νῦν ὄμογτι πάντες ἀνθρώποι χρέωνται, fere omnes homines hodie utuntur.
p. 1010. *Libanius* autem Sophista pene per indignationem, tantum
jam ait linguam suam, id est, Græcam, per id accepisse detrimenti, ut
metus sit, ne forte lex aliqua feratur, qua prorsus extripetur. Literas
quidem & fas hoc non agere: honorem vero Italicam seu Romanam lin-
guam callentium hanc licentiam sibi forsan esse sumtum, de fortuna sua.
Ac sane legimus apud Dionem & Svetonium, à Tiberio Cæsare
Centurionem Græcè testimonium interrogatum, nisi Latine respondere
vetitum. c. LXXI. Tum Cæsar Claudio splendidum virum, Græciæque
provinciæ præsidem, verum latini sermonis ignarum, non modò Albo
Judicum erasit, sed etiam in peregrinitatem rededit. c. XVI. Fueritque
hæc universalitas Romanæ linguæ] quasi præludium aliquod Lin-
guæ illius, de quâ diximus, Primævæ, in vitâ æternâ olim revocandæ.
Quod nos quidem piâ probabilitate putamus futurum: ceterum
miramur multum, undenam hauserint Persarum quondam Magi,
dum in orbis restaurazione unam quoque linguam restitutam iri
credidere *Plut.* de *Osir.* & *Isid.* Priusquam verò finimus periodum,
ut male illud cedat LUDOVICO precamur, quod oppressa apud se
(id enim



(id enim vi omni egit) Latinâ Linguâ, decus tantum afferere sermoni suo voluit; ac nescio quomodo secuti sunt exemplum usque multi adeo, ut jam mœrerent pene Musæ Latiæ. nisi qua excitantur rursus per conversionem subitam & improvisam. Nam ubi opes, ubi potentia, & fortuna sua Regem Regnumque Galliæ destituent, (& jam passim fulcra subducunt) revocabitur etiam **LINGUA GALLICA** ab immani prope procursu, & latebras repetet, taciteque mœrebit. Quippe optimè miseras ferunt, qui abscondunt: nec ulla est tam familiaris infelibus Patria, quam solitudo, & status prioris oblivio. Curt. V. 5.

§. 27. Sequiturque post hæc in contextu nostro de COMMUNIONE HOMINUM IPSORUM INTER SE, quam per Romanum hoc Imperium condere tuerique, proposuerat sibi illa toties jam spectata nobis DEI CURA. Nec vacat referre hic prolixè, sive ex Cicerone, sive undecunque de appetitu societatis insito à naturâ. Nam dolendum est magis, institutum tam præclarum, dum in tot minores particulas discerpitur Orbis, & sibi quisque populus vivit, & semper in vicinos vel timendi vel sperandi, querendive aut ulciscendi caussam habet, vel habere putat, interturbatum varie, ac tantum non per vices extinctum. Quod fieri deinde non potuit, cum Romana amplitudo eodem sinu complexa cunctos, etiam benevolentia affectuque pari, parique & æquissimo jure universos continuit. Præclareque hic quoque Aristides, Nulla, inquit, nunc descriptione terræ opus est, nec singulorum leges recensere quicquam attinet, postquam vos communes omnium orbis explanatores extitistis, totiusque terræ portis apertis, unicuique quod vellet inspiciendi potestatem fecistis: publicisque legibus latis, ea quæ prius narrabantur jucundé, non item cogitabantur, sustulisti, nuptiasque communes & Orbis totius tanquam domus unius administrationem instituisti. I. c. Pene autem quod video nos in excreibendo prodigi sumus. Sed tamen Plutarchus, summus auctor, hic audiri poscit, de Alexandro quidem loquens, sed ut facilem applicationem cogitare volentibus reliquerit; modò ut in gradu perfectiori cuncta ista de Romano Imperio interpretemur. Sic autem habet: Jam illa Reipub. forma à Zenone Stoicæ sectæ auctore tradita, quæ tanto pere laudatur, ad unum hoc caput tendit, ut non per urbes ac pagos habitemus, singuli proprio nobis jure ab aliis distincti: sed universos

E

homines



homines populares civesque nostros censeamus esse, una omnium vite
ratio, unus ordo fit, tanquam gregis alicuius, qui communibus utitur
aequali lege pactis. Atque hoc quidem scriptum reliquit Zeno, tanquam
somnium aut imaginem aequitatis, & Reipublicæ Philosophicæ deformans.
Alexander re ipsa doctrinam eam expressit. Neque enim exsecutus est
Aristotelis consilium, quo eum jubebat Græcis se tanquam Principem, bar-
baris ut Dominum præbere: & illorum quidem ut amicorum & domesti-
corum curam gerere, his tanquam brutis aut stirpibus uti. Quod si
fecisset, regnum suum bellis, exiliis, seditionibus, simultatibusque imple-
visset. Sed ita statuens, DIVINITUS SE COMMUNEM omnium
nationum moderatorem atque arbitrum esse missum, quos verbis non
poterat, armis ad communitatem adagens, omnes undique gentes in unum
corpus conduxit, tanquam in amicitia craterem commiscens vitas, mores,
nuptias, vietas rationes: mandavitque, ut universi mundum pro patriæ
agnoscerent, castra pro arce & præsidio, bonos pro cognatis, malos pro
peregrinis: inter Græcum & Barbarum non chlamyde, peltâ, acinace,
candyâ distinguerent; sed Græcum virtute, barbarum vitiostate æstima-
rent, communes autem ducerent vestes, mensas, conjugia, vietum, cum
hæc omnia sanguine & prole essent invicem contemperata. Hæc ille l.c.

§. 28. Sed inter excellentissima Romanorum numeraveris
facile PACEM illam AUGUSTI, qua insignis ac providentissima
DEI CURA non ipsos modo, sed & plerumque orbem, mire quon-
dam atque diu beavit. ή ὑπὸ πάντων ὄμολογυμένη ἀριστόν ἐστιν εἰς νῦν,
pax omnium confessione summum bonum est. Thucyd. IV. Sed illa ta-
men Augusti pax tam ad multos pertinens, extraordinarium aliquid
atque incomparabile omnino habuit; ut omne ævi sui spatium im-
pensurum in id solum opus Scriptorem fatigare posse, Velleius Paterculus
auctor sit. Itaque ergo inquit: Nihil deinde optare à Diis homines, nihil
Dii hominibus præstare possunt, nihil voto cōcipi, nihil felicitate consumari,
quod non Augustus post redditum in urbem Reipublicæ, Populoque Romano,
terrarumque orbi repræsentavit. Finita vicefimo anno bella civilia,
sepulta externa, revocata pax, sopitus ubique armorum furor, restituta
vis legibus, judiciis auctoritas, senati majestas, imperium magistratum
ad pristinum redactum modum, præsa illa & antiqua Reipublicæ forma
revocata; reddit cultus agris, securitas hominibus, certa cuique rerum
suarum possessio; leges emendatæ utiliter, latæ salubriter; Senatus sine
asperitate

asperitate nec sine severitate lectus, principes viri, et triumphisque amplissimis honoribus functi, hortatu Principis ad ornandam urbem illecti sunt. II. 89. Florus brevius, sed argute: Sic ubique, inquit, certa atque continua totius generis humani, aut pax fuit aut pactio. Aususque tandem Cæsar septingentesimo ab urbe condita anno Janum Geminum claudere, bis ante se clausum, sub Numa Rege, & vietâ primum Carthaginæ. IV. 12. Erat autem Janus iste, seu Templum Jani, ex Numæ instituto pacis bellique Romanis index; apertus, ut in armis esse civitatem, clausus, pacatos circa omnes populos significaret. Liv. I. 19. Ac neque narratio ejus reliqua ab illa Flori differt: bis deinde post Numæ regnum clausum fuisse, semel T. Manlio Consule post Punicum primum perfectum bellum: sed hoc religiosius, & pro devotione perpetuâ, quæ in isto viro deprehenditur: iterum QUOD NOSTRÆ ÆTATI DII DEDERUNT UT VIDEREMUS post bellum Actiacum ab Imperatore Cæsare Augusto, pace terra marique parta. Constatque ex Suetonio, A. XXI. atque aliunde, quantopere hoc opus, hoc est, PACEM suam & amaverit, & conservare studuerit instructissimus pacis artibus Princeps.

§. 29. Itaque ab hac Pace novam quasi fatorum Romanorum seriem, & alteram, ut sic loquar magnam periodum, multis Scriptorum auspicari placuit. Tanquam enim post longissimam noctem, quæ pene fatalis fuerat Imperio, effulserat iterum nitidior lux. Eratque præcipua hujus PACIS soboles SECURITAS PUBLICA, cui hactenus nihil simile viderat ulla ætas, nihil secundum. Meretur res, ut aliquantò diutius huic CURÆ DEI contemplandæ immoremur, & tanquam NOVUM DISTINCTUMq; FRUCTUM, seu quod idem nobis est dicere, finem atque causam singularis illius favoris, & solicitissimæ DEI CURÆ DE RE ROMANA allegemus. Extant maximorum Auctorum præclara in eam rem dicta, quorum nos hic quædam referemus: ac primum omnium illud Ciceronis: *Simul illud Asia cogitet, nullam à se neque belli externi, neque discordiarum domesticarum calamitatem abfuturam fuisse, si hoc Imperio non teneretur.* ad Qv. Fratr. Ep. I. 1. Tum deinde ex Tacito, ubi Dux Romanus Treviros atque Lingonas accuratâ oratione officii admonet: *Regna bella que per Gallias semper fuere, donec in nostrum jus concederitis. Et post pauca: Nam pulsis, quod Dii prohibeant, Romanis, quid aliud quam bella omnium inter se gentium existent?* H. IV. 73. 74. Sic ubi Curtius

de Tyro, nunc tamen, inquit, longâ pace cuncta refovente sub tutelâ
Romane mansuetudinis acquiescit. IV. 4. tutelam vocat opes Imperii
pacisque Romanæ; ast mansuetudinis elogio civilem, nec sine liberta-
tis umbrâ Principatum notat: & acquiescere securitatem exprimit,
quæ sub magnis Imperiis nimium fidelior ac certior; quando mole
sua ab exterorum concussionibus facilius defenduntur. Usus autem
simili cum Curtio formulâ fuerat Livius, de Emporiis, urbe Hispanicâ
loquens: erant etiam eò tutiores, quod sub umbra Romane amicitiae
latebant. XXXIV. 9. Sed & Sallustius graviter, ut solet; Si morbo,
inquit, aut fato huic Imperio secus accidat, cui dubium est, quin per
orbem terrarum vastitas, bella, cædes oriantur. de R. O. II. Quæ cuncta
simul Plutarchus comparatione ingeniosissima expressit, cum ait:
Sicut enim Physici tradunt, Mundum non fuisse mundum, neque corpora
voluisse coëuntia & commixta communem ex omnibus formam naturæ
præbere: sed aliis parvis etiamnum ac sparsim agitatis, subterlabenti-
busque & comprehensionem nexumque effugientibus, grandioribus autem
& compactis jam atrocia invicem certamina exercentibus, turbasque
dantibus, cum fragore fluctuasse omnia: antequam Terra suam naëta ex
compactis & agitatis magnitudinem, ac stabilita esset, eam firmatam,
etiam reliquis in ipsa, aut circum ipsam subsistendi opportunitatem ex-
hibuisse: ita maximis hominum potentiis, atque imperiis fortuitis casibus
jactatis, & inter se collisis, quod nemo unus imperaret reliquis, vellent
omnes, inexplicabilis fuit clades, & error, ac MUTATIO CONTINUA
omnium: donec ROMA vires naëta, & aucta, & in se constringente cum
gentes ac populos, cum peregrina etiam atque transmarina regna &
dominia, maximæ res fundamentum, cui inniterentur, & firmitatem
adeptæ sunt, Imperio in pacatum statum, circulumque immobilem redacto.
de fort. Rom. 317. Breviter, Romanum Imperium ANCHORA fuit
fluctuanti mundo, ARA fuit, TEMPLUM fuit, quo ad salutem confu-
gerent, qui premerentur, ARX fuit nunquam se cuiquam negans,
fuit PORTUS, & si quod his omnibus fortius, tutius, & inexpugnabi-
lius nomen reperiri potest, quo SECURITAS ista PUBLICA signetur.
Nusquam enim arma, hostis, prædo; arabant, serebant, metebant;
conjugia inibant, liberos gignebant, educabant: omnia securè, &
nec auribus quidem læsis rumore belli. Nam si quod tale erat, cum
barbaris nempe & longinqvis erat, & quod velut ludicum aut fabel-
lam,

lam, tibi limitibus & præsidiis suis audiebant. Et Aristides pro ceterâ suâ facundiâ; Bella verò, inquit, vix unquam nunc creduntur extitisse; ac pro commentis habentur à plerisque. Quod si alicubi ad limites conflictum fuerit, (ut in magno & immenso Imperio facile fit, ob Getarum insaniam, vel Afrorum miseriam, vel rubri maris accolaram infelicitatem, qui commodis bonisque suis nesciverunt uti) mox ista tanquam somnia, cum omni memoriâ evanuerunt. Tanta Pax apud vos viget, ô Romani, et si militiam bellumque habeatis inter patria instituta. l. c. Idem vero, dum in eadem oratione SECURITATEM istam PUBLICAM per diversos fructus dispescit, profectò non reticet VIAS undique liberas, & COMMERCIA metu omni soluta. Jam quod ab omnibus, inquit, dicitur terram esse communem omnium matrem atque patriam, id vos optimè ostendistis: siquidem nunc & Græco licet & barbaro cuivis, sive quid ferat, sive nihil, quounque libuerit, quasi ex patria in patriam commeare: nec vel Cilicum fauces, vel angusti & arenosi per Arabiam in Ægyptum transitus, vel montes invii, vel fluvii immensi, vel gentes barbaræ intractabiles, terrorem cuiquam afferunt; sed ad communem securitatem sufficit omnibus, ut Romani sint, vel saltem vobis subjecti. Et quod Homerus cecinit: Terra tamen communis erat: id vos opere complevistis, terramque omnem dimensi, pontibus variis, fluvios junxitis, montesque excidistis, ut equitabilis fieret terra, & solitudines diversoriis replevistis, cunctaque diætæ & ordinis beneficio mansuetiora reddidistis. l. c. Visere tum licebat magna aut nobilia illa oppida, clara & inclyta ingenia, Athenas, Alexandriam, Rhodum, disertos aut sapientes ibi viros; denique ad alia terrarum se conferre, disciplinæ aut animi caussa. Ast mercatores, & quibus aliarum opum cupiditas, ii per maria omnia navigabant, ii per terras circuibant: unicos, sed uno & certo pretio placantes Publicanos; nec eo gravi sub Principe aliquo moderato & æquo. Porro cum Assyrii, Persæ, quique ante Romanos plurimum terræ imperio complexi sunt, gentibus ipsis tanquam nudis corporibus imperasseint, velutique modò solitudinis ac præsidiorum Reges fuissent: Romani contra tot urbes terra marique disponebant, ut soli Civitatum etiam Principes possent dici. Nunc, inquit Aristides, & Græce civitates omnes sub vobis exurgunt, ipsarumque donaria, artes, & ornamenta omnia vobis, tanquam in suburbanum decorum cedunt; & cum litora marina, tum mediterranea

loca urbibus partim extructis, partim aductis, tam sub vobis quam per vos plena cernuntur. Ionia vero, que olim fuit controversa, praesidiis & satrapis nunc liberata, pulchritudinis magistra ante omnes jacet: que, quantum prius alias gentes gratia videbatur & ornatu vincere, tantum nunc se ipsam superavit. Illustris autem & magna illa Alexandri in Aegypto urbs, vestri imperii ornamentum, velut mulieris divitis monile, vel in auris in cetero mundo extitit. l. c. Atque iterum idem, (quomodo enim melius certiusque vetera representem, quam veteris scriptoris verbis?) universus, inquit, orbis sub vobis tanquam festum diem agitans quos olim gerere solebat gladios deposuit, ad convivia autem, & reliqua, omnem latitudinem liberè se convertit. Et aliae quidem contentiones aut certamina urbes reliquerunt; unum omnes habet, ut earum queque pulcherrima & jucundissima aspectu appareat. Itaque omnia plena gymanasiis, fontibus, sive aqueductibus, porticibus, templis, tabernis, scholis: ut quis verè dixerit, inclinantem & labantem mundum à vobis restitutum esse. Nec urbes solum splendore ac decore lucent; sed tota adeo terra, instar horti aut paradii conspicitur exulta. Ut MISERATIONE PLANE DIGNI videantur, si qui Imperio vestro non subjacent, (qui pauci tamen sunt) ut quietantis bonis careant. Hæc verè & floride sunt dicta, & capiunt fateor, nos recitantes. Sed neque LECTORES nostros, si qui futuri sunt, naufraguros adhæc ipsa metus est. Post hæc omnia autem credent, DEI CURAM bene voluisse generi humano, cum REM ROMANAM tam amplam & tam auctam facere decrevit. Et priusquam tamen planè inde abeamus, hoc addendum est, PACEM AUGUSTI non cum Principe Augusto, (quanquam is longissimè Imperio præfuit) finivisse: Sed sub ceteris quoq; Principibus aut immorā aut modicè lacepsit am, perstitisse diu admodum. Nam ecce Claudio, qui sub Honorio Imperatore floruit, sanè per quam magnificè:

Hujus pacificis debemus moribus omnes,
Quod veluti patriis regionibus utitur hospes,
Quod sedem mutare licet; quod cernere Thulen,
Rursus & horrendos quondam penetrare recessus.
Quod bibimus passim Rhodanum, potamus Orontem,
Quod CUNCTI GENS UNA sumus.

§. 30. Diximus multa. Ceterum omnia neque diximus, nec dicemus unquam. Quæ diximus interim, sic fuere comparata, ut etiam

etiam gentilibus animis potuerint comprehendendi & cognosci. At vero jam ad illud divinæ providentiae consilium venimus, quod solis Christianis non obscurum esse sivit admiranda NATIVITAS CHRISTI; qui unus & verus Pacis Princeps, & hujus ipsius QUIETIS AUGUSTÆ Auctor, SUÆ DOCTRINÆ vel stadium vel hospitium pacatum latè per orbem tali modo emunivit. *Justus Lipsius*, cum ferè jam de Magnitudine Romana absolvisset, & in digressiunculam tamen de Peregrinationibus delapsus, id quoque addidisset: *in animo tuo cogita, si tu nunc Byzantium, Persarum, aut Sinarum regionem videre liceret, quam tu ipse fortasse atque alii libenter iretis? per tot terras & maria oculos pedesque ferretis?* Sed sub Romano igitur Imperio, inquit, quam id licuit? iutius quam Belgis nobis hodie non dicam ab urbe ad urbem, sed pene per urbem, aut circa eam ire. IV. 12. Cumque ita jussi essent à CHRISTO Apostoli ire per terrarum orbem, & omni genti, quæ sub cœlo est, annunciare Evangelium: *Matt. XXVIII. 19. Marc. XVI. 15.* ei rei profecto hic in unum velut compactus Imperii vastissimi ambitus, & hæc immota ubique populorum quies, & hæc linguae communio, dici cogitarive non potest, quantum & quam immane profuerit. Et ut unum pro cunctis, sed grande illud ac sine exemplo dem exemplum: publicus ille Gentium Doctor PAULLUS, cum viam Damasco Syriae exorsus, tenus Illyrico, totum in circuitu, hoc est, ad utrumque illius balthei sive cinguli, Imperium Romanum constringentis latus, (de quo supra §. 14.) periplus, prædicatione Evangelii impleret, in tot commodis, quæ dixi, sic quasi per unius civitatis regiones & plateas incessit, eosdem ubique cives, eundem Dominum seu Principem reperiens, legesque easdem, & eandem tutelam: ut ubicunque vim pateretur, liceret illi dicere CIVIS ROMANUS SUM; quæ vox & imploratio sape multis in ultimis terris opem inter barbaros & salutem tulit. Cic. Verr. V. aut si vel magistratus ipsi Romani graves forent, jus & fas sineret AD CÆSAREM PROVOCARE. Ususque utroque beneficio Apostolus est, *Act. XVI. 37. seq. XXIII. 25. seq. XXV. II. 21. 32.* tam lato eventu, ut auditus defensus, absolutus à judicio Neronis gemino discesserit; felixque iter denuo exorsus, ultra ea quæ Lucas retulit, multa & alia regna CHRISTO acquisiverit: id quod Exercitatione aliâ videmur jam tum demonstrasse, de Peregrin. Paulli Maced. §. 45. & 46.

§. 31



§. 31. FRUCTUS deinde novus CURÆ DEI sequitur, COHIBITIO BENE LONGA ANTICHRISTI OCCIDENTALIS sive PAPÆ. Quam spinosam licet materiam, in quantum quidem historicæ commentationi fas est, tangemus nihilominus, ne qua pars libelli debilis luxatave linquatur. Ac *Divus* quidem *Augustinus*, cum in locum insignem Paullinum II. *Thess.* II. 5. seq. incidisset, aliquantum hæstanter, sive ut potius hic quoque illud sibi proprium ἐπέχει servet, proloquitur: *Quod autem ait, Εἰ nunc quid detineat scitis, hoc est, quid sit in mora, quæ causa sit dilationis ejus, ut reveletur in suo tempore scitis: quoniam scire illos dixit, apertè hoc dicere noluit.* Et ideo nos, qui nescimus, quod illi sciebant, pervenire cum labore ad id, quod sensit *Apostolus*, cupimus, nec valemus præsertim quia Εἰ illa, quæ addidit, hunc sensum faciunt obscuriorem. Nam quid est? jam enim mysterium iniquitatis operatur. Tantum qui modo tenet teneat, donec de medio fiat: Εἰ tunc revelabitur ille iniquus. Ego prorsus quid dixerit me fateor ignorare. Suspiciones tamen hominum, quas vel audire, vel legere de hac re potui, non tacebo. *Quidam putant hoc de Imperio dictum fuisse Romano.* de Civ. DEI XX. 19. Sed enim vero contra palam ac sine metu profati sunt, VETERES, *Tertullianus*, *Hieronymus*, *Ambrosius*, *Chrysostomus*, *Oecumenius* &c. è NOSTRATIBVS facile omnes: è REFORMATIS *Bullingerus*, *Beza*, *Hyperius*, *Tossanus*, *Piscator*, *Belgæ*, *Crocius* &c. è PONTIFICIIS ipsis *Lombardus*, *Hugo*, *Thomas*, *Justinianus*, *Bellarminus*, *Cornelius à Lapide*, qui etiam communem Patrum, teste D. Hieronymo in cap. VII. *Danielis*, traditionem, & ut videtur *Apostolicam* istam esse asserit. comm. ad h. I. *Paullum* nimurum de ANTICHRISTO, hoc est, de PONTIFICE ROMAMO loqui, qui jam tunc infelicissime conceptus, velut Embryo tamen in alvo iniquitatis latens, nihil ausurus quicquam, vel audere potis futurus erat, quamdiu veteris Imperii Romani majestas, aut Cæsarum potentia obsteret. Juvat isto loco contemplari initia ista Papæ, certè occulta, ac dein conferre incrementa lenta sane, donec fastigium ac vis denique tota PAPALIS POTENTIÆ palam conspecta est; sœva dudum atque acerba, sed intolerabilis ac mortifera CHRISTI ECCLESIAE futura olim, ni à CHRISTO ipso circu acto orbe retegatur, destruatur & aboleatur: id quod Paulus prædixit. Principia indebitæ Potestatis ferè isto modo habuere: Doctrinam CHRISTI non



HI-
sive
sto-
pars
nus,
ali-
gium
neat
etur
luit.
d id,
qua
enim
lonec
xerit
, vel
perio
contra
rony-
BVS
ianus,
Hugo,
com-
onem,
m ni-
AMO
en in
futu-
farum
Papa,
igium
a est;
RISTI
etega-
ncipia
RISTI
non

non Tiberius Cæsar, ac neque Principes subsequi accepere. Civium per Imperium Romanum ingens multitudo, prædicantibus Apostolis, ad CHRISTUM conversa est. Quæ sibi deinde per se soli consulere coacta, imbuta est primum gustu aliquo cujuscunque imperii, qui sensim dehinc auctus, in illam demum irrationabilem doctrinam adolevit, ECCLESIAM & CIVITATEM, suo utramque jure, ab utraque supremâ potestate gubernandam. Nec id vel satis primum intellexit, vel statim etiam emendare potis fuit CONSTANTINUS, post trecentos demum annos, primus Imperator Christianus: qui nullo potius consilio bono, relictâ Româ, Constantinopoli confedit; plusque jam aliquid sperare Episcopum Romanum fecit, pridem tam sublimi loco commotum. Et crevit ambitio, cœpitque porrò quan- dam sui fiduciam habere, ubi imminuto passim Imperio, convellen- tibus Italiam ipsam barbaris gentibus, nullo demum Romæ Cæsare, (nam post *Augustulum Momilium Anno CHRISTI 474.* extinctum, nemo porrò Imperator Romæ præsedid) constituto Ravennæ Exarcho, brevi tamen & isto sublato, VACUA sic quasi IN AULLA tantum non regnaret Episcopus Romanus à Gallicis maxime Regibus, Pipino & Carolo suffultus; qui pulsis Longobardis, non tutum illum modo, sed & potentem, donato cum pleno jure Exarchatu, fecere: nisi quod aspernantibus populis, CAROLUS cum titulo Imperatoris supre- matum adeptus, beneficiarium habuit Episcopum Romanum; tenu- eruntque successores Caroli ad *Henricum IV.* quem mirè exagitatum, pleroque jure Pontifex *Gregorius VII.* despoliauit, non *Henrico V.* non *Fridericis I. & II.* valentibus reprendere, quantum cunque nite- rentur. Quin astu ac vi in ulteriora indies grassantibus Episcopis, & Cæsarum potentia vergente, plenum denique, & elaboratum per- fectumque PAPAM, infantia, pueritia, adolescentia, juventute, gra- dibusque adeo atque processibus cunctis jam decursis, orbi terrarum LEO X. repræsentavit. Quorum omnium nihil tamen futurum fuerat, si ὁ κατέχων sive ἐπιστολίζων ille, non fuisset ante amotus. Quod fortius omni demonstratione, vel sola Constantinopolitanæ Episcopi collatio docuerit: cui idem haud dubiè animus, ac superbia par, non par autem licentia fuit: eò quod ad eversionem urbis atque imperii, semper ibi Imperatores coram rebus suis præfuere.

§. 32. Sicut autem in facili est, subducto calculo, quantum ex eo

F

tcm-



tempore, quo D. Apostolus hanc ad Thessaloniceses Epistolam exaravit, quod A. C. 51. factum est, ad hanc deplorabilem ROMANÆ REI CONVERSIONEM, post Augustulum, annorum defluxerit, deprehendere: ita nunc major nobis temporum series nascitur, contemplantibus quamdiu CURA illa immensa DEI DE REROMANA, per Romanam rem seu Imperium continuerit ANTICHRISTUM ORIENTALEM sive TURCAM. Sic enim Theologos passim loqui, & sic etiam comparationis cuncta capita, quæ ipsi adducunt, planè congruere legisse meminimus. Breviter: ortus utriusque Antichristi incidit in idem tempus, & uterque vim particulæ avil reapse exprimit. Vid. Hotting. Hist. Eccles. cap. sive seculo VII. Sed hujus immodicis incrementis longè etiam diutius Imperium Romanum obstitit, quam potuit Magno illi Antichristo, sive PAPÆ. Neque vero vacat isto loco rem ex alto repetere, ac de Saracenis narrare; quorum origines, factaque, & damna, quæ Imperio Romano ab Heracli temporibus dederunt, fuse perque partes in Historia Arabum Gvfgangus Drechslerus exsecutus est. Sed neque de Turcis aut Laonicum, aut Gazam, vel quoscunque alios excerpere sedet: cum satis sit dixisse in præsens, arma eorum currente CHRISTI seculo octavo primum audita, ipsos autem viciis fractisque Saracenis in Saracenicum tam regnum quam nomen seculo non transivisse; ac deinde verò imperium hoc verè 1750. tam immani auctu creuisse, ut quam multis Asiae Africæque partibus sub jugum missis, seculo decimo quinto in cumulum addiderit Imperii Romani partem orientalem, & Græciam, atque Illyricum: donec demum A. C. 1520. à Solymano capto Belgrado viam sibi in Hungariam fecere, in qua & propter quam toto ex inde tempore pugnatum est: victoribus pridem jam futuris Turcis, ni GERMANICI, seu, quod idem est dicere, ROMANORUM IMPERATORES SEMPER AUGUSTI, GERMANIAE, HUNGARIAE, BOHEMIÆ que REGES, ARCHIDUCES AUSTRIÆ, quasi oppositâ mole, tantem victoriarum impetum frenassent. Sed quæ prius acta sunt, ea cuncta hic prætereo prudens, ut hoc celerius veniam ad annum CHRISSTI 1683. quo magnis bellum viribus adversus LEOPOLDUM CÆSAREM redintegravit Sultanus, eâ quidem ferociâ, ut præterris munitionibus finitimus, quæ ex more bellantium prima oppugnari solent, in Austriae immitteret Vezirium, Viennamque durissimâ



durissimâ obsidione premeret; quæ tamen die 2. (12) Septembris, DEO favente, victricibus Cæsarîs & Fæderatorum copiis appropinquantibus, fœdaque fuga elabentibus Turcis soluta fuit. In quo actu, summa virtus JOHANNIS GEORGII III. Saxonie Electoris potentissimi, Domini mei clementissimi, eminuit; qui sinistram alam dicens, primum in hostes impetum fortissimè ac providè fecit, primusque in Turcarum castris vexillum, victoria insigne fixit. Verba sunt doctissimi Viri, quem etiam istâ parte descripsisse totum, mirum quâm volupe est. *Animadvers. ad Hornii O. P. l. 2. 12.* Ex eo tempore dici credive non potest, quantum potentiae Turcicæ decesserit. Hungaria universa a LEOPOLDO aut vi, aut ditione capta. Croatiam, Sclavoniam, Dalmatiam, Bosniam, Transylvaniam, quantum abest denique ut perdomitas dicas? Accepit jugum Servia quoque. Et per Bulgariam Walachiamque armis longè jam lateque promotis, non ita deinde prolixum iter, mediâ Macedoniâ, in Thraciam, ad urbem imperii sedem monstrabatur: ni CÆSARIS nostri, Germaniæque Principum vires plerasque, ad proprius periculum propulsandum, hoc est, à Danubio ad Rhenum, & Mosellam, ac Mosam, & nunc etiam ad Padum, ille fax & turbo sæculi LUDOVICUS traxisset. Luat pœnas perjurus atque impius hostis! Ac Turcæ dilatam, non inhibitam perniciem sciant! Et tuo DEUS, qui REM ROMANAM, à tot jam sæculis tam enixè CURASTI, CURA porro quoque, atque serva quicquid denique in hanc diem ROMANÆ REI penes nos mansit, latissimisque incrementis profer interim, & in antiquam, seu quantamcunque volueris majestatem post deinde recompone; CÆSARIQUE LEOPOLDO, & JOSEPHO REGI ROMANORUM, tum & SACRI ROMANI IMPERII ELECTORIBUS, PRINCIPIBUS, Statuique universo concordiam, consilium, opes suffice, quo quæ cœpta sunt maximo animo, nec fortunâ minore, consimili mox fato contextuq; absolvâtur; inque partem gloriæ spoliorumque etiam VENETI veniant, Socii sapientes, fortes, & felices, tum si qui præterea caussæ Christianæ ex animo farent! Ac solus denique ploret ac miser sit GALLUS, quia SOLUS ipse publici communisque gaudii tanto ac tam festivo argu- mento, tam protervè intercedit.

S. 23. Hisque ita expositis, nostræ quoque jam de CURA DEI curæ accipient finem. Nullo quidem in his rædio nostro, nec quasi



quasi immemores promissorum simus, quibus, si vacuum foret,
aliquid etiam de ROMA, ROMANOVE IMPERIO NOSTRI ÆVI
tanquam in sortem adjecturos, scripsimus §. 3. Verum quasi tum
quoque auguratus est noster animus futurum, ut in tam ubere materia
paginæ nos potius quam illius immensæ DEI DE REROMANA CU-
RÆ vel EXEMPLA omnia vel & CAUSSÆ & FINES deficerent. Et
succurrebat simul ad LECTOREM respiciendum esse, cui plerumque
aliquis vel ex ipsâ sapientiâ modus placet. De quâ nos tamen usque
adeo nobis nihil pollicemur, ut potius tanquam ad præsidium confu-
gientes, dicamus non minus artis esse, SCIRE DESINERE, quam
insistere præclarè cœptis: potissimum si non abjecisse
operam, sed tantisper distulisse
videamur.

COROLLARIA

ex more recepto adjecta.

I.

Accentus, commata atq; puncta in Codice Græco N. Testa-
menti quamvis non sint coæva, neque divinæ auctoritatis, non
tamen temere sunt iterum omittenda.

2.

Male illi, qui aut olim, vel & hodie Inventionem & Dispositi-
onem à Rhetorica excludunt, tanquam Logiæ partes.

3.

Sophismata bonum virum non decent.

4.

Anima hominis est immaterialis.

5.

Cometæ atq; Ecclipses ex caussis naturalibus constantes, pos-
sunt esse signum peculiaris eventus.

6.

Intentio bona quodvis opus non reddit bonum & virtuosum.

7.

Majestas immediate dependet à Deo.




Von



R.
SA

SS.
SE

B.



AC SUMMO
NEDICTO
OVIO,
RI CLARISSIMO,
PASTORI DRESDEN-
E PER VICINIAM
TISSIMOQUE
ARUM ARBITRO
OCTISSIMO

multiplicatis cum votis

d. d. c.

AUCTOR.